

Caroli Lotharingi Card.
ET FRANCISCI DVCIS GVYSII, LITERÆ ET ARMA,

in funebri Oratione habita Nancij à N. BOCHERIO Theologo, & ab codẽ posteà latinè pleniùs explicata.

His accesserunt vtriusque Icones, & eiusdem Card. Tumulus, atque Concio, ab eodem Bocherio latinè reddita.

AD

Sereniss. Principes CAROLVM Lotharingum & CAROLVM Vademontanum.

LVTETIÆ,

Ex Officina Federici Morelli, Typographi Regij.

1577.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

SERENISSIMIS DEFVNCTI CAROLI CARDINALIS A LOTHARingia Nepotibus Principibus, CAROLO Lotharingo Illustriſs. Ducis Lothareni filio, & CAROLO Vademontano, in Academia Muſſipontana Scholaſticis,

N. BOCHERIVS S.

EX me ſæpè quæſiſtis, optimæ ſpei Principes, num quis obſeruandiſſimi Patrui veſtri Cardinalis nouiſſima verba mortémque literis tradidiſſet: & petiſtis, ſi quid de illo à quoquam haberem, vobis vt illud proponerem. Nil prodeũte, veſtrum bonorúmque omnium deſiderium, & meum vtique illius colendæ memoriæ perpetuum ſtudium me mouit, vt eius Concionis, quam Nancij in illius funere vobis audientibus habui, ſumma capita colligerem, eáque, ſed aliquanto latinè pleniùs explicata, & quaſi ſic pro concione habita fuiſſent, enarrarem. Ad quæ quod ego temporis ſpatium è veſtris ſtudiis eripui, hoc totum vobis reddo: & ſpero idem quoque vobis profuturum. Nam

quum clarissima Dei vocatione, & D. Parentum summa voluntate ad Ecclesiæ Dei ministerium, ad Euangelij prædicationẽ ingenij vestri & virtutis indoles ferat: nil omnino ad hoc vitæ promouendum institutum aptius, quàm si Patrui, summi in eo genere artificis, recens & illustre ad imitandum exemplum vobis proponatis. Hîc autem nõ solùm illa, quæ à me postulastis, sed nonnullam quoque rerum ab eo gestarum historiam videbitis: quibus scilicet ille rationibus ad singularem sapientiæ & eloquentiæ gloriam peruenerit: & eas virtutes vt in vsum Ecclesiæ, & Regni Gallici salutem, studiosè contulerit. Tum quemadmodum quum regnum staret incolume, eo toto cum omnium incredibili admiratione, nec minori gratulatione floruerit. Postquam verò exorta hæresis regni tranquillitatem turbare cœpit, vt cum afflicto Regno vnus præ omnibus grauiter vexatus sit. Cęterùm vt Dominus ex mediis hæreticorum manibus admirabiliter & sæpè vindicatum, eò seruarit integrum, vt præclarissimæ mortis testimonio inimicorum suorum calumnias omnes obtereret, & exemplo bonos omnes in fidei Catholicæ confeßione confirmaret: quam ipse coram Rege, regiáque tota, quæ tum ad illum ingredi potuit, moriens professus est. Hîc quidem etiam clarissimi quondam Ducis Guysij, patrui itidem vestri, arma reperietis. Sed illa ornatissimis fratribus cognatísque vestris, qui ad illius bellicarum virtutum gloriam magnis passibus gradiuntur, relinquentes, literas & consiliorum prudentiam Illustrissimi Cardinalis vobis ad imitandum sumetis. Hôc enim ad studium

& æmulationem harum duarum virtutum maximarum potior est generis vestri, quàm alterius cuiusquam nostri temporis Principum familiæ, conditio: quòd cuius illi militarem virtutem imitari, vos etiam cuius nunc in scholis literarum amorem & ad eas percipiendas diligentiam, pòst autem in administrandis, quibus vos Dominus præficiet, Ecclesiis imaginem effingere: vtrique porrò quorum pietatem in Deum, & in bonos omnes beneuolentiam perpetuò sequi & exprimere debeatis, non aliunde, quàm ex ipso vestro genere quærendus sit Archetypus. Id autem vobis sedulò præstandum. Nam vt Caroli Lotharingi nominis & cognominis hæreditas, ita factorum imitatio ad vos propriè pertinet. Enimuero sic existimare debetis, quantùm hoc domesticum exemplum vobis conferet ad conciliandam bonorum omnium gratiam, ad nominis vestri celebritatẽ, si illud, vt æquum est, ex animo amplexi fueritis: idem tantùm ad fastidium vestri & contemptum, ad obscuritatem momenti vobis, si per socordiam & ignauiam illud deserueritis, importaturum. Hoc autem eò non dico, quò mihi veniat in dubium vestra voluntas egregiíque conatus. Nobis enim de vestris studiis meliora pollicemur, tametsi ita loquimur. Siquidem meam iam omnino vicisti expectationem, Domine mi Carole Lotharene. Iam ad quotidianam ex lecto precationem tetigit Dominus os tuum, & sic soluit linguæ vinculum: vt mirentur qui annum hunc cum superiore conferunt, tam paruo factum tempore, vt nullum aut perexiguum hæsitantis oris vestigium appareat. Nec

dubitent, quin si viam, quam instituisti, tenere perrexeris: idem tibi, quod olim Demostheni, contingat aliquando, & Patrui eloquētiæ respondeas. Ad quod adiumenti tibi plurimum afferunt iucundum & elegans ingenium, animi lenitas, morúmque mansuetudo, & cum pari docendi facilitate coniuncta discendi cupiditas. Sed nec etiam est, Domine mi Carole Vademontane, propter quod te ad hoc disciplinæ exemplum capiendum pluribus excitādum putem: præsertim quum superatis infantiæ & pueritiæ variis & dubiis aduersæ valetudinis impedimētis, quibus initiò tibi tuísq; accuratiùs, quàm studiis seruiēdum fuit, eos tamē progressus feceris, vt à prioribus duabus humanitatis disciplinis, Grammatica & Rhetorica, iam audiēdæ Dialecticæ maturus, ad Philosophorum scholas proximis Remigialibus sis prouehendus. Quin vitæ consuetudinísque Patrui per annos sex, quibus in Academia Rhemensi te secum habuit, sic meministi: vt mihi de illo scribenti, multa, quæ excidissent, vel pro tempore non occurrerent, suggesseris. Vnde sperem præter infinitorum hominum memoriam, testem eorum, quæ de illo scripsi, te quoque orationi meæ fidem in multis maximam facturū, iísque melioribus. Nam (sicut est bonorū ingenium, vt appropinquante morte religiosiores sint, vitáque eorum & oratio maturitatem assequuta, quod natura fert optimum & vltimum, id tum proferat) quum quid ille antea diceret facerétue, quamuis rem sic accuratè cogitatéque tractaret, nemo vt æqualium sui temporis accuratiùs, nunquam vt idem ipse antea meliùs fecisse quicquam aut dixisse

xisse putaretur: tamen hoc postremo vitæ sexennio, quo cum illo fuisti, sic omnia gerebat, sic viuebat, se vt etiam ipse quotidie superaret. Iisdem igitur, quibus iam faustè fœlicitérque cœpistis, vestigiis ambo pergite Patruũ, eundémque lustricum patrem vestrum, consequi. Hoc si facitis, rem non solùm vobis, vestra familia, vestrorúmque studiorum initiis dignam facitis: sed alter etiam Regis auunculi studium, alter Reginæ sororis amorem, ambo vtriusque beneficentiam, dominorúmque parentum omnium charitatem in vos accenditis: & rediuiuam Caroli Lotharingi Cardinalis memoriam in vos traducitis. Qui quoniam viuens non dubitauit, quin amãtissimi vestri Præceptoris, obsequentissimi quidem certè & deditissimi semper serui, fidelissimis consiliis obtemperantes, tales vos præbeatis, quales optauit: Hoc idem à vobis expectauit, vt qua, dum viueret, præceptorem beneuolentia audiuistis, eadem illum semper audire, eadem illum pietate & voluntate complecti velitis. Ego verò dabo operam, illi de me, mihi de illo, studiísque vestris satis vt queam facere. Ponti ad Mosonium castrum, Ex Bibliotheca vestra, 10. Calend. Maij, 1576.

LECTORI BOCHERIVS, S.

Lector, quod nusquam est alibi, id si fortè requiris:
Longiùs hinc ne abeas, pagina versa dabit.
Guysiadæ occurrent duo: Literæ & Arma quibuscum
Iuncta manent, priscæ & relligionis honos.





FRANCISCVS DVX A GVISIA.



CAROLVS CARDINALIS A LOTHARINGIA

LITERÆ ET ARMA DVORVM FRATRVM, CAROLI Lotharingi Cardinalis & Francisci Ducis à Guysia, clarissimorum Principum, in funebri oratione habita Nancij à N. Bocherio Remo in funere eiusdem Card. 22. die April. 1575. & ab eodem posteà Latinè fusiùs explicata.

QVVM multæ sint, Auditores Christiani, Ecclesiæ cōseruandæ, tuendisque potētissimis regnis à Deo prouisæ, & à maioribus nostris consideratæ atque diuinitùs institutæ rationes: tum nulla certior, quàm cùm pij, iidémque docti atque fortes viri excitantur, & Ecclesiæ rerúmque publicarum negotiis præficiuntur: vt religiosissimi sacra mysteria sapienter interpretando, & fortissimi rerum externarum curam benè fœlicitérque gerendo Ecclesiam & regna conseruent. Plurima

Esa. 5.

contrà quum ſint incommoda & calamitates, quas ſcelerum flagitiorúmque noſtrorũ vindex & vltrix ira diuini numinis affligendis vtriſque & profligandis immittit: tum nulla maior quàm cùm clariſſimis viris, quorum authoritate, conſilio, & virtute ipſa potiſſimum nitebãtur, orbantur & deſtituuntur. Quòd ſi vlli vnquam antea, tum nos ipſi noſtra ætate, cùm in fortiſſimorum Ducum interitu, tum nuper maximè in acerbiſſimo funere ampliſſimi Cardinalis à Lotharingia experti ſumus. De quo quum heri in hoc parentalium honore vt ego dicerem, mandatum accepiſſem, primo nuntio non minimè, fateor, commotus ſum: præſertim quum nil mihi magis præter opinionem meam accidere potuiſſet, tum quòd in hoc Illuſtriſſimorum Principũ ornatiſſimo conſpectu & aditu primo, in hoc nobiliſſimorum virorum frequentiſſimo conuentu dicendum eſſet: & de eius Principis rebus geſtis atque virtutibus dicendum, quas nemo, niſi qui eadem, qua ille fuit, dicẽdi facultate prę̨ditus, oratione cõplecti poſſit. Mouebar itidem, quum tot ille literatos excitarit atque opibus ornarit: quum maximum ſcribẽti de ſe argumentum reliquerit, ex quo tamen deceſſit, nil emanaſſe. Cuius cauſam neque nunc etiam aliam ſuſpicor, quàm quòd rerum ab illo geſtarum multitudo magnitudóque diſertiſſimum quemque à ſcribendo deterreat: quaſi optimi Principis virtutes ſint ipſæ ſuo obruendæ ſplendore

dore, eiuſdémque omnia in Eccleſiam, in hanc patriam, in vniuerſam Galliam officia ſua magnitudine interitura. Accedit, quòd cùm ex coniuncta mihi cum bonis omnibus in huius ſereniſſimi Principis interitu, tum ex priuata quoque rerum perturbatione, tantum, tam acerbum cepi dolorem, vt ei vix reſiſtam. Itaque ad afferendam vllam vobis cõſolationem me, qui conſolatione potiùs indigeam, ex omnibus minimè eſſe accommodatum. Verùm quum ſubiiſſet animum, eam eſſe mihi oblatam cõcionem, in qua nemini deeſſe poſſet oratio: & ab eo propoſitam, cui vt non debeo, ſic nec etiã quicquam velim denegare: vt omnino ſine funebris cõcionis extremo officio, ſine aliqua vitæ rerúmque à ſe geſtarum commemoratione in patria ſua tantus propheta non eſſet, hoc ego demum munus recepi. In quo ſi mihi contigerit, quod cuilibet quamlibet diſerto, & ad id longo antè tempore optimè comparato, neceſſariò euenturum erat, vt multa prætercam: & quæ attigero, aridiùs, quàm ipſa poſtulent, percurram: peto à vobis, vt id non mearum modò virium imbecillitati, ſed huius quoque loci neceſſitati breuitatíque temporis, rei magnitudini, denique doloris mei acerbitati tribuendũ exiſtimetis. Quod dum mihi de veſtra fide & æquitate polliceor, rem aggrediar: & eam ex eo loco, vnde præcipua illuſtrium virorum ducenda eſt gloria, repetam. Duo ſunt omnino, quibus regna & imperia

Literarum & armorum coniunctio.

quæruntur & quæsita conseruãtur, Arma & Literæ. Illa quidem, sicut omnis potestas & principatus à Deo sunt: qui pro sua voluntate ea excitat & euertit, iisdémque administrandis, quos vult, præficit. In ea tamen, qua res humanas dispensat, prouidentia, ista duo, quibus respub. continentur, reperiuntur. Literæ religionem consiliorúmque prudentiam habēt, arma potentiam. Religio veris de Deo & proximo sententiis & notionibus hominum animos imbuit. Tum solido de timore & amore Dei & proximi iacto fundamento, prudentia pacis bellíque temporibus homines inter ipsos legibus continet & respub. administrat. Nam sublata pietate & animi conscientia, quæ potest inter homines iustitia fidésque stabiliri? Potentia verò populos in ditionē subigit. Qui iisdem postea, quibus subacti sunt, armorum, prudentiæ & religionis artibus retinentur. Hæ sunt literarum & armorum virtutes: quæ vt disiunctæ possint aliquid, non tamen quod diu consistat. Demus eloquentiã dissipatos in agris homines, in tectis syluestribus abditos vnum in locum primùm coëgisse: Leges, quibus ipsi pari iure viuerent, edixisse: quanam tandem ratione, nisi viribus præualens, contumaces ad ius compulisset, & ferocientes in gyrum rationis & doctrinæ compulisset? Quid etiam maximi & fortissimi exercitus, si desit literarum præsidio firmatum consilium? An non ipsi, sicut omnis vis expers consilij, suo per se robore

Disiunctio literarum & armorũ nil aut nõ multum potest.

robore concidunt? frustra foris arma, nisi domestica disciplina, optimis Senatorum consiliis ipsa regantur: & progressus longiùs is, à quo hoc primùm natum est: Cedant, inquit, Arma togæ, concedat laurea linguę. Longiúsque magnus ille veteris disciplinæ magister, nunquam fore beatas respub. putauit, nisi qui cœperint illas regere, docti sint & sapiẽtes: & eas qui iam regant, omne suum studium in doctrina & sapientia collocent. Plures itaque extiterunt, qui pacis armorúmque temporibus ex horum altero illustrem sibi gloriam compararunt. Sed qui in vtroque excelluerit, vnus ex paucis celebratur Cæsar: quem vna manu gladium, altera librum tenentem hoc effinxerunt nomine, quòd quantus fuit, tantum illum armorum & literarum coniunctę virtutes fecerint. Pleni sunt huius coniunctionis historicorum libri, plenę sapientum voces & exemplorum vetustas. Voluisse veteres imperatoriam maiestatem non armis solùm decoratam, sed literatorum hominum sapientissimis consiliis & legibus armatam: eámque ob causam consilij & eloquentiæ Deam Mineruã, arcu & sagitta formidolosam pinxisse. Regibus Ægyptiis sacerdotes à cõsiliis fuisse, Assyriis Chaldæos, Indis Brachamanes, Persis Magos. Gręcos facũdissimi Nestoris cõsiliis & Agamemnonis armis Troiam expugnasse. Eodẽ in bello Achillẽ, pręceptorẽ suũ Phœnicẽ à cõsiliis habuisse. Apud Lacedęmonios nõ aliud regem fuisse, quàm

Cic. offic. 1.

Plat. 5. de Rep. & Cic. Epist. 2. l. 1. ad Quint. fratr.

in armorum & ſacrificiorũ negotio primas tenere. Druydas apud Gallos religionis & politiæ gloria claruiſſe: apud Romanos itidem Aruſpices, Augures, Flamines ius ciuile profeſſos, & reipub. gubernacula tenuiſſe. Primos eorum Reges Sacerdotes fuiſſe: primos Imperatores, quò cum armorum titulo, literarum quoque & religionis edita in vulgus opinione, maieſtas ipſa foret auguſtior, ſummos Pontifices nuncupatos. Eorum demum Rempub. optimis Senatorum conſiliis & fortiſſimorum Ducum bellicis artibus ad talem demum magnitudinem perueniſſe, vt ipſa mole rueric ſua. Sed quid hîc ego prophana commemorem, quum ſacris, quæ huic loco magis conueniunt, exemplis abundemus? Quinque liberos quum haberet Matathias,
1. Macha. 2. ex his Simonẽ & Iudã, in bellis pro domo Domini cõficiendis, cæteris præficit: Illius vt conſilia, huius vt arma ſequerentur. Quid illud nobiliſſimum par
Exod. 4. fratrum, Moyſes & Aaron, exercitus Dei ductores? Horum ſic erant à Deo partes diuiſæ, vt Moſes populi dux eſſet: Aaron verò, quia in dicendi facul-
Deut. 17. tate ſuperior, ad Regem & populum orator. Et in controuerſiis de iure Iudices Leuitas conſulebant, quorum decreto & ſentẽtiæ ſtare iubebantur. Quin eis promiſit Dominus non defuturos qui eloquentiæ & armorum virtutibus illuſtres perpetua ſerie
Deut. 18. ſuccederent. Prophetã, inquit, de gente tua, de fratribus tuis, ſimilẽ mei ſuſcitabit poſt me tibi Deus,

ipſum

ipſum audies. Ex qua promiſſionis certitudine Dauidi Nathã excitatus eſt: Ezechiæ & trium præcedentium regum temporibus extitére Eſaias, Oſeas, Ioel, Amos, Micheas. Datus eſt Ioſiæ Hieremias, & captiuis Ezechiel: Daniel, aliíſque temporibus alij ſubinde ſemper ſuſcitati: niſi cùm legis violatæ pœnas ab eis expetiturus: Auferam, ait, à Hieruſalem validum, fortem, bellatorem virum: tum prophetam conſiliarium & prudentem eloquij miſtici. Hinc illæ afflictæ Eccleſiæ ad Deum lachrymæ & querelæ temporum: Signa noſtra non vidimus, iam non eſt propheta, non eſt qui cognoſcat ampliùs. Quondam ſigna tuę erga nos paternæ voluntatis fuerũt copia Ducum & Prophetarum præſentia, quorum promiſſione in aduerſis durabamus: & eorum aduentum ſuſtinentes, populi tui ruinas ſolabamur. Iis verò nunc tanto tempore deſtitutos quum videas, ecquem tandem laborum finem daturus es? Miſertus tandem populi ſui Dominus, magnum militiæ ſuæ Ducem & Prophetam miſit, IESVM CHRISTVM: qui potens opere & ſermone, potens harum coniunctione virtutum, (ſi modò eius opera rectè hîc arma vocemus) ſibi regnum in ſanguine ſuo acquiſiuit. Quid demum in hac literarum & armorũ coniunctione Chriſtiani? In Gallia quum ſint à Carolo magno huius quondam cõiunctionis patrono ſingulari pares, patréſue duodecim inſtituti, qui in ſupremo Senatu cum pri-

Eſa. 3.

Pſal. 73.

Pares ſiue Patres Frãciæ, 12.

mariis litium forensium disceptatoribus aliisq; Senatoribus, & vbicunque res ferat, Regi adesse debeant: Horum sex ex Episcoporum collegio cooptantur: quorũ omnium primus est Rhemẽsis Archiepiscopus, à quo etiam Reges inaugurantur. In Germania, Polonia, Hungaria, Anglia, primas obtinent Ecclesiastici in cõsiliis Regum & reipub. administratione. Ex septem Imperatoris Electoribus tres sunt Episcopi: idémque electus à summo Pontifice confirmatur & consecratur. Itidem Anglus ab Episcopo Cantuarensi. Et Polonus ab Archiepiscopo Gnesneo, qui cum aliis eiusdem ordinis sacerdotibus classem in eius concilio ducit. Magnum omnino Principum Catholicorum in hac quodam retinenda literatorũ, corúmque Ecclesiasticorum, cum ciuili potestate volũtas & studium: cùm vt salutaribus eorum consiliis vterentur, eorúmque assererent dignitatem, tum vt ipsi viderent, ne quid, quod catholicę pietati dissentaneum esset, in edictis conscribendis aliísue reipub. negotiis statueretur. Magna atque singularis Dei prouidentia, vt rebus ita postulantibus alios atque alios subinde Duces fortissimos hactenus excitarit, doctrináque & studiis præstantes viros: qui sicut quondam Israëlitæ, vna manu stabilirent Ecclesiam & afflictam erigerent: altera contra hæreticos decertarent, & eam sartam tectã ab illorum iniuriis vindicarent. Quorsum verò tam exquisita & altè repetita pertinet ora-

Ex 12. Franciæ patribus sex sunt Episcopi.

Cur Regum consiliis Episcopi adhibeantur.

2. Esd. 4.

oratio? quorſum? Si quis eam ſtudioſè attenderit, & iam inde mentis oculos ad illa duo Eccleſiæ firmiſſima propugnacula, fortiſſimum atque inuictiſſimum Franciſcum Lotharingum Guyſiæ Ducem, & Carolum Lotharingum Cardinalem, fœliciſſimum omnium, quæ præteritorum ſæculorum ætas vidit, par fratrum: is illius exitum facilè prouidebit. Horum ſiquidem, alterius literæ, alterius arma, vtriuſque porro pietas in Deum, in Rempub. charitas & ſumma officia, ſic nota omnibus, ſic teſtata, ſic illuſtria ſunt: vt non communi naturæ lege, ad omnia noſtræ memoriæ pro ſalute regni Gallici & Eccleſię incolumitate conficienda negotia, ſed diuino quodam munere, ex antiqua illa Ducum & prophetarum populo Dei facta promiſſione, dati & in concilium Gallorum aſciti videantur. Certum eſt enim alterius conſilio, alterius armis ſtare, quod adhuc Eccleſię in Gallia, & regię dignitatis in Valeſiorum familia reliquum eſt. Itaque quamuis hic locus, hæc iuſta funebria, vt de Carolo modò dicam, admoneant, & hoc initiò mihi propoſuerim: tamen quia vtriuſque res geſtæ coniunctis literarum atque armorum in repub. virtutibus reſpondent & reſonãt, ſicut imago veritati, & tanquam alterum Moſis & Aaronis, Simonis & Iudæ, ſuſcitatum par fratrum: quum de altero dicam, de altero mihi tacendum nõ erit. Sic quondam Caſtoris & Pollucis fratrum, laudes coniunctim ſunt celebratæ. Et quoniam horũ

Literarum & arm. coniũctio in Frãciſco Duce Guyſio, & Caro. fratre.

Deut. 18.

vitæ rerúmque ab eis gestarum historia multos habet eósque varios rerum euentus, multásque consiliorum & temporum actiones, in duas partes illam secernam. Prior læta, quamuis laborum plenissima & periculorũ, excipiet. Posterior, quæ fuerit vtriusque catastrophe & exitus rerum, explicabit. Non est, quòd initiò in commemorãdis eorum proauis, Carolo magno, illísque Hierosolymitanis, Siculis, Neapolitanis, Arragonensibus Regibus, Renatis, aliísque clarissimis Ducibus & Comitibus, quibus plurimis eorum familia claruit, diutius immorer. Maior mihi in hoc agro messis est, quàm vt in alienum falcem mittens, aliunde assumam quod huc transferam: quanquam gloriæ parentum hæreditas ad eos nepotes propriè pertinet, qui domesticarum imitatione virtutum, maiorum suorum gloriam propriis rebus gestis, quasi rediuiuam, ex integro reparãt. quod in his duobus insigne est ad gloriam: hi namque non ea gesserunt modò, quæ generis amplitudinem & splendorem retinere, sed quæ plurimùm amplificare & illustrare possint. Primùm sicut Cæsar quondam in dicendi facultate Ciceroni concesserat, vt primas in bello teneret: sic in deligẽdo vitæ statu Franciscus Carolo togatum, hic illi contrà militarem concessit. Non quòd Franciscus bellum vnquam amarit: nam is pacis amantissimus semper fuit: & in sedandis ciuilium bellorum discordiis ambo sæpè, priuatis etiam suis incõmodis, de iniu-

Duæ partes huius Concionis.

de iniuriarum memoria delenda sempiterna obliuione, agendum audiendúmque suaserunt. Sed ea incidit temporum iniquitas, vt à Regibus adhibitus habuerit necesse, se suámque fidem Regno & Ecclesiæ probare. Porro autem vterque paribus ad æternitatem laudis & gloriæ gradibus sic suum sequutus est vitæ modum, vt quantùm Franciscus inter bellicosissimos sui temporis Duces in multitudine bellorum eorúmque conficiendorum celeritate & fœlicitate excelluit: tantùm Carolus inter purpuratos Patres & literatos omnes in vbertate & copia dicendi, in consiliis de Reipub. negotiis, belli togæque temporibus, capiendis, præstiterit: adeò, vt huius vitæ consuetudinem & actiones, huius quotidianarum solicitudinum aculeos, molestias, & labores pro regno & Ecclesia considerantibus, is visus sit eundem in Gallia locum tenuisse, quem olim Cicero in medio Senatu populóque Romano, quem in Lacedęmonensi Demosthenes (quorum eloquentia prudentiáque consiliorum patriæ libertas cõtra oppressores nitebatur) quem etiam primùm in Ecclesia Paulus: vt quem solicitudo omnium Galliæ Ecclesiarũ continenter vrgeret, vnúmque potissimùm premeret. Ac de Francisco quidem, quoad coniunctę literarum & armorũ virtutes postulabũt, dicam. Ad Carolum autem, quando huius ergô celebrãdæ memoriæ conuenimus, omnis mea referetur oratio. De quo dicam, quod verè possum, assentatio-

Quod Demosthenes Laced. Romæ Cicero, D. Paulus in ecclesia, hoc in Gallia Carolus fuit.

nis suspicionem nil veritus: & eò liberiùs dicam, quòd apud eos hæc mihi sit oratio, qui propiùs illum supra communem mortalium conditionem virtutum ornamentis floruisse cognouerunt: adeò, vt non tam verendum mihi sit, ne falsa ei à me laus affìcta, quàm ne vera, tacita & detracta videatur. Tres igitur quum suscepisset filios Renatus Dux Lotharingiæ huius nominis secundus, idémque Rex Siciliæ: Anthonium in Ducatu successorem, Ioannem Cardinalem à Lotharingia, & Claudium Ducem à Guysia: Huius Claudij ex religiosissima Principe Anthonia à Borbonio, adhuc superstite, Carolus filius fuit. Natus est autem Ianniuillæ in Francia, anno 1524. mensis Februarij decimo septimo die, hora nona matutina. Quod occidenti Ecclesiæ faustum fœlíxque fuit. Siquidem sub id tempus nonnullæ in Germania cùm ciuitates, tum prouinciæ Lutheri hæresim primùm publicè receperunt, & arma contra Ecclesiam sumentes iam tum in Galliam erumpere nitebantur: & penetrassent vtique, nisi patruus Anthonius Claudiúsque pater eis aditũ interclusissent. Natus igitur est cum nascente hæresi, vt hæreticos ipse, sicut euetus postea docuit, oppugnaret. Sic porrò genitus, vt ad omnia summa natus esset: & quas natura singulis singulas distribuit, quæq; singulę summos & admirabiles faciunt, eas omnes in eum corporis & ingenij virtutes affatim contulisse & effudisse videretur. Nam vt formæ

Caroli genus.

Vbi & quãdo natus.

Dotes ingenij & corporis.

formæ pulchritudinem, patentis atque porrectæ frontis serenitatem, cæruleorum oculorum suaues nutus, oris, oculorum, vultúsque dignitatem, in quibus singularis ingenij præstantia mirificè refulgebat, prætermittam: erat ille cum apta membrorum & lineamentorum conformatione recti & mediocriter solidi corporis procera statura, qualis omnino in Principibus Lotharenis cernitur: capite ferè omnibus eminenti: facie longula. aspectu recto: quum oraret, vel meditaretur, defixo. vultu benigno & placido, in cœtu hominũ alacri: quum autem solus esset, hominis solliciti & altas secum versantis cogitationes speciem referente. colore fusco, & quà prominent genæ, sanguine suauiter diluto: sed ad ingrauescentem ætatem, perstricto nitore aliquantùm liuido: nonnunquã etiam quum tristis esset, sufflauo. quum loqueretur, labio inferiore dentes planos, densos & breues nonnihil aperiente. sincipiti alto, amplo & eminenti: quod eorum dicunt esse, qui valent inueniendi acumine & aliquid ex seipsis sine doctore excogitandi. Constitutione corporis tam firma, quàm necessaria ad ferendos tantarum, quæ illi perpetuæ fuerunt, rerum tractandarum labores. voce sine contentione plena & clara: in lingua demum erat, si cui vnquam, explanatissima vocum expressio. Fouebat has corporis dotes victus ratione: quem labor, quem deambulatio, si vacaret, ex præscripto me-

Personę Caroli descriptio.

Victus ratio.

dicorum ferè præcedebat. Et ipse per se libenter inambulabat, nactus porticum vel horti spatia, qualia habebat multa amplissima: & magnis adeò passibus, vt illum consequutus, ab eo non sine sudore dimittereris. In victu facilis, sobrius: &, quod consequens est, castus & pudicus. Prandebat liberaliter, cœnabat parcè: quin sexta feria & sabbatho nunquam. Ingenium autem eiusmodi, quale fingit Plato ad omnes artes idoneũ: acre, presens, acutum, & promptum ad omnia, videndi & audiẽdi, déque rebus omnibus & ab omnibus cognoscendi cupidissimum, semper aliquid secum volutans, nec vnquam otiosum. Sic natus, in illa orbis terræ amplissima Academia, iis artibus primùm instruitur, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari solet. Vbi singulares illæ naturæ & ingenij dotes cõtinuò se se prodiderunt. Erat in eo ad omnes discipuli partes ingenij docilitas. Adhibebatur aduersus præceptorem reuerentia, constabat eidem debita obedientia. Ad signum lectionis in tunica pulla succinctus, theca & libris in auditorium proficiscebatur. vbi attentè doctorem audiebat, dictata ab eo diligenter excipiebat. Aderat in ediscendo sedulitas, in recitando (qualis postea fuit) summi futuri oratoris dignitas: tum in meditando, & in omni genere scriptionis stylum exercendo egregia ingenij alacritas. Sic denique Regiæ Nauarræ moribus viuebat, tantùm gymnasticarum legum instituto

Caroli studia.

tuto

tuto proficiebat, vt eius virtutis æmulatione accenderentur ingenuj, & præceptores ab eo exhortationis argumento ſumpto tardiores ad officium excitarent. Et mirabitur quiſpiam, ſi ſereniſſimos principes Nepotes ſic in ſcholis erudiri, ſic inſtitui voluit? His ille ingenij atque humanitatis virtutibus excultus, ſummam omnino de ſe omnibus, qui de ingeniis poſſent iudicare expectationem cōcitauit: quam toto vitæ tempore, ſtudio perpetuo ſic ſuſtinuit, vt omnium expectationem conſequens euentus vicerit: euentum ipſum rerum, quas geſſit, multitudo magnitudóque ſuperarit. Hac tanta ſtudiorum commendatione quum ab omnibus vnicè coleretur, eſſétque notus magno illi quondam literarum & literatorum omnium patrono Franciſco Valeſio Regi, euocatur in Regiam, quam ipſe aduentu ſuo nouo gaudio admirationéque cumulauit. Sic enim in Regia viuebat, vt illius voluptatum lenociniis & blanditiis minimè caperetur. Sic Regem colebat, vt interim ad ſtudia ſtatis definitíſque tēporibus rediret. Scholis dimiſſus & velut cuſtode remoto, nō gaudebat equis (vt ferè fit) nec canes alebat, non apris inſidiabatur, non venandi ſtudioſus erat: ſed quod alij ludis, aleæ, pilæ, & intempeſtiuis conuiuiis: quod alij ad alias voluptates tēpus conferebant: quod ei à publico munere & officio vacabat, hoc ille, ex aulico ſtrepitu domū ſe recipiens, trāſmittebat ad recolēda ſtudia, ad audiendos Phi-

E ſcholis in Regiam euocatur.

Vita eius aulica qualis.

Publicas disputationes Theolog. Iuris, & Med. frequentat.

losophiæ, Iurisprudétiæ & Theologiæ summos doctores, quos adhibebat, quibus cinctus erat, quorũ disputationibus & publicis in scholis, & domi priuatis frequenter intererat. vbi qui proponentis vel opponentis partes agerent, ad eius frontis contractionem, vel eiusdem explicationem, quid ipse de vi argumenti eiúsque explicatione sentiret, satis coniiciebant. Non pudebat doctos homines, quamuis obscuris ortos maioribus, sibi conuiuas adducere, vltro venientes admittere, & sermones cum illis conferre. Mane apud nos, inquit, ad cœnam, vt philosophemur. Tantam ex scholis & literarum studiis humanitatem comitatémque deportauerat, vt sicut dignitate summos, ita benignitate & facilitate infimos superare videretur. Erat ad eum cuique facilis aditus, & blandè atque comiter vnũquemque accipiebat. Italico sermone apprimè loquebatur: & Hispanicè ille quidem sciebat, in eo satis admodum versatus. Erat eius domus velut magistra morum & schola disciplinæ cæterarum. Quatuor secum habebat cùm in regia tum extra regiam, quocunque ei iter esset, nepotes, Guysium, Cenomanum, Almalæum, Elbusium: qui statis distinctísque temporibus, quasi in gymnasio erudirentur, nunc Germanicè discebant, nunc imperatorum & illustrium virorum res gestas in historiis, ad constitutum tempus velut ad clepsydram, legebant. In primis verò ad pietatem, timorem & amorem

Gratia in doctos.

Variis linguis loquitur.

Est D. Nepotũ alumnus.

rem Dei inſtituebantur. Primis bellorum ciuilium temporibus, quibus maximè coniuratores à Rege, ab Eccleſia nobiles nobiliúmque liberos ad hæreſim & omnem concipiendam nequitiam abducebant, ipſe velut gregem aſſeclarum puerorum ſecum ducebat. quibus ſingulis quum equitium domeſticum non ſuppeteret, ij confertim plures quadriiugis curribus vehebantur. Tam multos autem ſe hoc nomine alere reſpondebat: vt, abductis in Babylonem maioribus, ſaltem in Iſraël ſemen relinqueretur. Hæc fuerunt illius aulicæ vitæ curricula, hic vitæ modus: quem ſibi ab initio conſtituit & toto vitæ tempore tenuit. Hac iam celebritate famæ quum Romæ notus eſſet, ſummus illum Pontifex Paulus tertius vtilẽ fore atq; fructuoſum Eccleſiæ ſurculũ prouidit. Quamobrem illum, quamuis ętate nondum matura, in futurum Metropolis Eccleſiæ Rhemenſis Archiepiſcopũ poſt obitum Roberti à Lenũcuria nominauit. Cæterùm quoad per ætatis opportunitatẽ illius adminiſtrãdę potẽs eſſet, illã Ioanni Cardinali à Lotharingia patruo regendam cõmiſit. Vt verò illã iniit, & ex nomine ſuo regere inſtituit, grauiſſimos Theologos eodẽ tẽpore in Collegium & ordinem Canonicorũ cooptauit: quorum conſilio & adiutrice opera vtebatur. Et quoniam ſuis illam potiſſimùm conſiliis atque inſtitutis ſtabilire & beneficiis ornare, velut induſtriæ gloriæque ſuæ ſtabilem ſedem & domicilium, ſta-

Aſſeclæ.

Archiepiſcopus Rhemenſis deſignatur.

tuiſſet: vnā ex nōnullis aliis quæ oblatæ fuerunt, ſibi retinuit & adiunxit cōiugē, quā ex eo, quo primùm illā accepit, tempore, nunquā dimiſit: ſed eam ipſe per ſe, quoad vixit, ſtudioſè coluit, & cū omni ſollicitudine adminiſtrauit. Anno 1547 Romam profectus eſt: vbi ab eodē illo ſummo Pōtifice in purpuratorū Patrū Collegiū Cardinalis primùm tituli S. Ceciliæ, poſt autē D. Appollinaris, cooptatus eſt: primūq; ſub Illuſtri Guyſiæ, pòſt etiā Lotharingiæ nomine, ſed ꝙ circū illū vt firmiſſimū certiſſimūq; cardinem Eccleſiæ Gallicanæ res voluerētur: quòd apud Gallos in eius vnius ſalute ſumma ſalus ageretur fidei Catholicæ, non immeritò etiam & Galliæ: qualis viuens habitus eſt, & à clariſſimis ſcriptoribus in iis libris, quos illi dicabant, publicè nuncupatus. Sic enim ex illis vnus, Ad illuſtriſſimum Galliæ Cardinalem & Principem Carolum Lotharingum. Pluribus aliis cùm à ſummis Pontificibus beneficiis auctus, tum à Regibus pluribus fortunæ & dignitatis acceſſionibus citra cuiuſquam bonorum publicationem, ſine ambitioſa bonorum capite damnatorum, vel exilio mulctatorum, vel hoſtium partes in bello ſequētium, prenſatione (quo genere tum nonnullos plus quàm regno fortè vtile fuiſſet, ditari rumor erat) ornatus quum eſſet: magnis tamen, quos eum in vſum Reipub. facere neceſſe habebat, ſumptibus: & alendis, quorum erát Mœcenas, alumnis vix ſatis ſuppetebat. Ergo Caroli ſtudiis

Cardinalis inſtituitur.

Carpentarius doctor Med. & Re. Profeſſ. Lutetiæ, comment. in Alcinoū Platonis.

diis & ingenij præstantia magnus ille literarum & artium vniuersarum pater & restaurator Rex Franciscus delectatus, illi Henrici, postea Regis, filij, cõsiliorum rerúmque summã commisit. Ex quo Henricus illum eo studio & amoris ardore primùm cõplexus est, quo Ionathas Dauidem suum: & deinceps ea semper beneuolẽtię stabilitate & constantia prosequutus, vt quæ ad illum pertinerent, omnia illustri gratia commendata habuerit, omnia vt eius causa voluerit. Denique nil ad eum ornandum vt prouiderit cõferre, quod ei vltro nõ detulerit. Eum insuper habuit patris primùm commendatione & grauissimo iudicio, pòst etiam proprio, suorũ omnium, quoad regnauit, cõsiliorum non participem modò, sed authorem, sed principem. Quod singulari quodam diuinæ prouidentiæ beneficio factum creditum est: vt in acerbissimis regni temporibus & vndique circunfusis negotiis, Carolus Lotharingus vnica Regi leuatio fuerit, in cuius cõsilio acquiesceret: alter Atlas Regno excitatus, qui suis vnus totum & tam graue regni pondus molémque humeris sustineret. Huius enim & trium consequentium Regum temporibus, sub quibus ille floruit, tot tantáque rerũ discrimina, quot sub nullo antea ex omni Gallorum repetita memoria & ex Annalium monumentis aut visa aut audita à quoquam, contigerunt. Quorũ tamen nullum tam difficile & arduum fuit, quod huius consilio prouisum non sit: & mi-

Franciscus rex dat Carolum Henrico filio.

1. Reg. 18.

In Regia Caroli consilia vigent.

nore, quàm humana prudentia caueri potuit, Reipub. detrimento confectum. Huc ex Asia literæ, ex Hispania, Germania, Anglia, Italia, Flandria, Scotia, ex quatuor orbis partibus afferuntur? Societatis cõfirmationem quisquam petit? desiderat alius pacis conditiones? subsidiarias alius copias implorat? alius bellum indicit? sanctam alius induciarum fidem postulat? literas hic vnus omnes resignat, omnium vota expendit, omnibus vnus respondet. Capiuntur de domesticis consilia? in eo, quod ipse ostenderit, stat senatus sententia. De edictis retinẽdis, aut ex re & tempore abrogandis, aut nouis conscribendis agitur? Hic vnus abrogat, retinet, conscribit. Expostulandum apud exteros Principes de Caroli Imperatoris iniuriis? probãdæ sunt illis iustæ belli suscipiendi rationes, & ad belli societatem adducendi? Hic vnus iterum apud summum Pontificem, Venetos, Ferrariæ Ducem, Gallorum causam agit, vulnera conqueritur, & fortunas tanto cum verborum apparatu & affectuum vehementia: vt & quod vult, ab eis auferat, & illis se omnium, quos post Ciceronem habuissent, disertissimum, & in dicendi facultate omnium maximè admirabilem probarit. Quod tertia & quarta profectione testatum etiam apud Romanos amplius reliquit. Illa quidem, quum noua iterum ad summum Pontificem & Cardinalium ordinem accepta legatione, de non fallendo bello, quod eorum causa susceptum

Quater Romam profectus.

Rex

Rex Duce Guysio in Italiam transportaret, ad effusum aureum eloquētiæ flumen, pluribus quàm antea, ex longo artis & exercitationis decursu partibus auctū & excrescens supra littora, Musæ Tyberinæ obstupuerūt, & eloquentiæ gloriam Gallis inuidere cœperūt. Quarta demum & postrema, mense Maio, anno 1572. ad Gregorij XIII. qui hodie præest Ecclesiæ, summi Pontificis electionem, in qua nouem menses cum eis versatus est. Quo tunc absente, Gaspardus Colignius, rei maritimæ quondam in Gallia præfectus, meritas debitásque factionibus pœnas 24. die sequentis Augusti dedit. Cum duobus item Gallorum & Hispanorum maximis atque fortissimis castrís, altero in alterius conspectu ad Ambianum oppositis, pacis conditiones tractandæ sunt? hic pacis commoda, belli contrà incōmoda & calamitates, adhibita tanta verborum delecta grauitate & sententiarum pondere recenset, vtriusque causæ argumenta firmamentáque tam disertè enumerat, complectitur & aptè componit, vt post longissima & crudelissima bella, tandem inter duos infestissimos principes, inter duo orbis maxima & potentissima regna, tranquillam ac salutarē pacis & otij societatem conciliarit: quæ etiam nunc vtrinque sanctè retinetúr, & colitur religiosè. Quod beneficium eiusmodi est, vt si nullum aliud vnquam regno peperisset: hoc tamen vnum, ad memoriam posteritatis esset ei satis, vel plurimùm. Iam verò

Dū est Romæ Carolus, luit pœnas scelerū in Gallia, Gaspardus Colignius.

Carolus pacis, quæ etiā nunc est, cū Hispano legatus.

Carol. in Senatu Parisiensi pro Rege orator.

quantum existimamus eum apud Regem virtute & cõsilio, quantum apud omnes opinione doctrinæ, docendi monendíque authoritate, atque omnino persuadendi facultate valuisse, qui in illo supremo senatu coram vniuersæ Curiæ consessu, coram summis & consultissimis iuris legúmque doctoribus, ex Regis mandato, dixerit? Dixit hic, & ita de præstantia iustitiæ déque iudicum officio dixit, vt in animis auditorum, currẽtium quidem iam satis sua sponte, aculeum, sed sine offensione, reliquerit. Qui in Panegyrico trium regni ordinum conuentu de regni summa, afflictísque rebus post Sanquintinam pugnam, Rege auditore, & hoc facere impe-rante, perorarit. Perorauit hic, & quanta periculi formidolosíque temporis tempestas immineret, quanta procella ruináque patriæ impenderet, sic pertractauit: vt singuli ad spem cupiditatémque recuperandæ dignitatis ardentes & erecti, ad excitandam vexati regni fortunam, ad omnia industriæ fortitudinísque subsidia, ad omnia denique belli suppeditanda instrumenta omni studio flagrarint & desiderio exarserint. Quid hîc ego commemorem sanctissimas illas de regia dignitate & virtute conciones, quas habuit sub id tempus quo tres ab eo Reges sunt inaugurati? Quid illam, grauissimã & diuinorũ mysteriorũ plenissimam orationẽ, quam in colloquio Pisciaco, crepantibus hæreticis, habuit? Hæc illa est, quæ eloquentiæ laudem hæreticis eripuit

Eiusdem panegyrica oratio in generali trium Galliæ ordinum conuentu.

Eiusdem in Colloquio Pisciaco Oratio.

eripuit: hæc quæ hæreticos, voce & vultu perterritos adduxit, vt se eloquentia inferiores faterentur. Sed (quæ eorum pertinacia fuit) veritatis confessionem ab eis non extorsit. Et illa est, quæ pro rerum quas tractat, grauitate: pro verborum, quibus res ipsæ tractantur, suauitate, tantùm meruit apud doctos, vt græcis illustrata literis, à Gallis ad Græcos peruenerit. Quid latinas parænefes ad Rectorem & quatuor ordinum Academiæ Rhemensis doctores omnes & præceptores, aliásque priuatim ad singulos complures? Quid illam rursus in generali cõuentũ Germanorum Comitum, Baronum, nobilium omnium, qui Episcopo Metensi parent, & Principum, qui illius ergô illustrandi cœtus conuenissent, orationem: quam vt omnes intelligerent, latinam primùm habuit: tum eandem ipse gallicè: Guysius demum nepos adhuc puer germanicè eodẽ tempore coràm reddidit? Salsedus in hac ab illo suscipienda prouincia nimium diligens & officiosus, in recepta verò insigniter perfidus, multis illam controuersiis implicuerat. Idémque quòd in ea administranda libidinosè, auarè, crudelitérque versatus esset, varias & graues Domino suo apud singulos ordines odij & inuidiæ offensiones accenderat: quas omnes hæc vna extinxit & deleuit oratio: illósque Carolo sic conciliauit, vt commutata voluntate non iam ad accusandum, sed ad eius eloquentiæ & virtutis celebrandas laudes conuersi

Orationes variæ.

acclamarint se, nisi perorantem illum audiuissent, tantam in eo principe vim atque facultatem dicendi, si millies etiam sibi fuisset inculcatum, nunquam fuisse credituros. Et rectè illi quidem. Nunquam enim quisquam ex ore alterius satis dignè de Carolo sensit. Et præsens plura, quàm de eo ex alio audiuisset, comperit. Quid item innumerabiles illius in

Conciones de rebus sacris.

celebrioribus templis ad populum conciones? Hic quum dicturus esset, concursus audiendi causa ex omnibus locis tantus fiebat: vt illa, quæ celebrãtur, Parisiense & Rhemense, maxima & amplissima, frequentiam nõ caperent: vt multa audientium millia concionantem non audirent. quin ex ea virorum & mulierum celebritate, non modò multi sæpe per summa densæ coactæque coronæ capita elati, penè exanimati subducti sint: sed ex tam multiplici, crasso & circunfuso hominum spiritu & anhelitu, tum ex contentione vocis orta rauis Ecclesiastem nonnunquam ferè oppresserit. Deum immortalem, quanta linguæ volubilitate, verborum delectu, copia & varietate, quasi rapidus torrẽs, ferebatur eius oratio! quanti verborum & sententiarum lepores! quanta gestus & motus corporis gratia! quãta vultus moderatio, & actionis dignitas! Tãta mehercle, vt eius audiendi diuturnitate aures defessæ nũquam exirẽt: tanta, vt eius audiẽdi satietate expleti animi nũquam redirent. Vidisses illum toto pectore supra suggestum celsum & erectum, lineo supra purpuram

amictu

amictu vestitũ, promissa ex humeris pendẽte stola, vultu verò adeò serenum, fronte adeò tranquillum, voce adeò plenum & suauem, ipsa denique forma totóque corporis habitu adeò spectabilem: vt auditores non modò longioris concionis expectatione suspensos, rei nouitate & miraculo attonitos teneret, sed in amore sui languentes dimitteret, quasi qui ex corporibus per aures animos eorum extraxisset. Quódque mireris ampliùs, dum concionantis animus totus ad ea quæ dicit, intẽditur acerrimè, notabat ex ipso suggestu, in tanta qua cinctus erat auditorum corona, oculis vnumquemque: vt reuersus, gestum, statum, motum habitúmque referret. Tãta valebat oculorum acie, tam erat solida mente, iudicióque constanti: vt pluribus intentus sensus, obseruatióque propria propè singulorũ, cogitationem eius nihilò remitteret, obruerétue memoriam phantasmatum multitudo. In vulgari quodam & plebeio quum harum, prudentię vel eloquẽtiæ, virtutum alterã, vel mediocrem videmus: hunc tamen hominem tacito quodam & insito in nobis virtutis amore diligimus. Sin vtramque in philosopho, & eo, qui ita se literis abdidit, vt externo nullo se negotio implicari patiatur, quò à perpetua & cõtinenti lectione retardetur: hũc etiam admiramur. Nunc verò coniunctas, eásque summas, & in principe, quum agnoscimus: atque in eo principe, qui primos in regia duxerit ordines, qui nõ latuerit, nõ

Caroli vis & gratia in dicendo.

abdiderit ſe, ſed in oculis ampliſſimi regni, in auribus omnium gentium & nationum poſitus erat: qui tanquam fluctu, ſic multitudine magnitudinéque negotiorum vltro & citro obrutus & circunfuſus, prædicationis tamen Euangelicæ laborem & munus, in ſumma ſui ſimilium inopia ad ſummam Eccleſiæ ſalutem, obierit: quibus illum laudibus efferemus? Quid dicam illum, ſuo vt exemplo idem facerent, plures induxiſſe? Erat antè pretioſus ſermo domini (vt quondam Samuelis tempore) quàm hunc ille ſuſcepiſſet. Erant pauci, propè nulli, non ex Epiſcopis ſolùm, ſed vniuerſo ſacerdotum ordine Hierarchico, qui hoc munùs profiterentur. Indocti negligebant, faſtidiebant docti. quod omnium erat miſerrimum, pudebat Epiſcopos: quorũ id munus eſt & primum & proprium. Res demum eò reciderat, vt à miniſtris non propriis, ſed extra ordinem aſcitis in ſubſidiũ Eccleſiæ quatuor mendicantium ordinibus, iíſque ſolis, Euangelij prædicatio coleretur. Tanto Carolus de Eccleſia optimè meritus, quòd is non ſolùm prędicandi voluntatem conceperit, & ad eam exercitationẽ adhibuerit: ſed compLures etiam per vniuerſam Galliam, idem vt nunc præſtent, ſuis moribus excitarit. Quid verò ſi etiam illum non oratorem modò verborum, ſed rerum actorem habuerimus: qua tandem virtutũ prædicatione memoriam illius ab interitu, ab hominũ obliuione & ſilentio vindicabimus? Nouus, Auditores

Plures exẽplo ſuo ad concio. induxit.
1. Reg. 3.

Verborum orator ſimul & rerum actor.

tores, hîc mihi naſcitur ordo virtutum: &, ſi in ſingulas eius vitæ partes inquiramus, longior ſeries, quàm eas quiſquam dicendo poſſit aſſequi. Sed dũ ex multis paucas commemoro, quæſo à vobis, vt eo quo cœpiſtis, ſtudio perferatis. Hîc mihi quiddam noctis crepuſculo ſimile videre videor. Sicut enim ad noctis interuentum ſydera, quæ interdiu ſolis ſplendore & radiis effundebantur, vnum poſt aliud, eminere incipiunt: modò ad orientem vnum emicat, mox ſcintillat ad occidentem alterum. tum autem hinc aliud ſe profert, cui illinc aliud prælucet. rurſus vltra hoc aliud, citra quod repentè & aliud. poſt hoc multa, pòſt item plura, pòſt denique numero infinita: quorum varietate diſtincta atque ornata cœli ſpecies, defixos intuentium oculos ſic detinet & rapit, vt quò ipſi pedibus aſpirare nequeunt, eò tota mente cogitationéque perueniant. Sic noſtri principis virtutum chorus eiuſmodi eſt, vt iam ad ſuperiorum conſilij & eloquentiæ intuitum & ſplendorem caliganti mihi, illuſtris quædam alia ſemper atque alia, quaſi perpetua ſucceſſione, virtus, velut quoddam ſydus atque lumen, oboriatur. Inter quas, vt intempeſta nocte præ omnibus Luna, ſic in eo præ cæteris emicuit pietas & religio: quam vt verbo, ſic opere ad extremum ſpiritum ſanctè caſtéque coluit. Quoties illum & quo animi ardore atque impetu cum Paulo pro concione, voce quanta maxima & clariſ-

Simile.

Perpetuus fidei catholicę aſſertor.

ſima poterat, vt idem omnes exaudirent & confiterentur, clamantem audiui: nil aliud ſe ſcire, niſi vnum Ieſum, eúmque crucifixum? per huius vnius mortem hominum peccata expiari? ab hoc vno ſalutem pendere omnium? quoties hoc argumẽtum, quod Apoſtolis in primis ſuis propoſitum erat, pluribus integris concionibus tractantẽ audiuimus? Quoties rurſum contra hæreticos de continentibus religionis fideíque ſumma, de quæſtionibus legis, quas ipſi in controuerſiam adduxerunt, dixit, ex orthodoxorum ſcriptis atque ſententia definiuit, & populum confirmauit? Quoties de auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento Eccleſiæ fidem pro concione profeſſus eſt & teſtificatus? Multæ quidem huius argumenti conciones fuerunt, quas ipſe cùm alibi ſæpè, tum apud Rhemenſes ſuos ſingulis annis feria quinta ante Paſcha habuit: tamen hoc affirmo, & hoc aliorum pace dixerim, nullam ex his ſanctiorem, quàm eam, cuius initium fuit, *Amicus vſque ad aras*. vel duas biduo continenti conſequentes: quarum prior hæreticorum argumenta cõtraria profligabat, poſterior ſanam de veritate corporis & ſanguinis Chriſti doctrinam continebat. Habebat ille, quibus inſtructũ vult Paulus Epiſcopum, ſtudia & ornamenta diſciplinæ: vt nimirum potens eſſet exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere. Euellebat primùm exẽplo prophetæ atque diſſipabat errores doctrinę & morũ

Scopus & finis concionũ Caroli.

vitia

vitia : tum , vt bonus agricola , ſubacto priùs ac repurgato dumis & vepribus terræ gremio , ſemen verbi Dei ſpargebat. Atque hoc illuſtrior eſt eius gloria: quòd cùm ex omni memoria Chriſtianorum Gallia monſtris caruiſſet, & eò fortaſſe minùs putaretur idonea (quia nondum experta) ad ſuſtinendos primos hæreticorum impetus: noſtra tamen ætate exorto, quod reliqua omnia turpitudine & crudelitate ſuperaret, portento, inuentus eſt Carolus qui hoc immaniſſimum & fœdiſſimum prodigium oppugnaret & profligaret. Decanorum & Curionum ſolennes illas ſynodos ipſe per ſe celebrabat, in iis præerat, concionabatur, ac de omni officio in annum ſequentem ſuis præcepta dabat. A Decanis eodem tempore commentarios de Eccleſiarum & Curionum ſtatu exigebat, quos vitæ ſingulorum victúſque conſuetudinis rationem reddentes ferebat æquo animo. vbi quod infirmũ reperiſſet, cõfirmabat: ſanabat, quod ægrũ: & quod diruptum, inſtaurabat. Ex decreto Concilij Tridentini (quod in Eccleſia ſua piè inuiolatéque ſeruari ſtatuit) doctores aliquot Theologos, & ex collegio Canonicorum primarios quoſdam, qui candidatos Eccleſiarum, antequam iis regendis præficiantur, probent, inſtituit. Idem diœceſim per ſe nonnunquam luſtrabat, & in celebrioribus vicanis Eccleſiis apud populum ſuas Euangelici præconis partes agebat. Sacros ordines ſæpe, & cum

In regenda diœceſi ſtudium.

magno delectu hominum, quos idoneos admitteret valdéque splendido apparatu habebat: eósque tam decorè & religiosè, vt actione ministerióque suo rem ipsam plurimùm ornaret longéque redderet illustriorem. Ex vicis certatim concurrentium ad minores sacri verticis infulas (quam vocant tonsuram) animos ab errore ad officium optimis rationibus adducere (nec, vt spero, frustrà) tentauit. Nouerat eorum complures hoc vel vno nomine eas ambire, vt eximio tonsi delibatíque verticis præsidio atque elogio tuti, media, tertia, aliqua tandem pro ratione locorum parte cēsus & vectigalis, quod dominis suis pendere iubentur, aliísque, quibus apud illos ex iure patrocinij tenentur, rationibus liberentur: & in causis ciuilibus, declinato externi fori iudicio, ius obtineant ad pontificium prouocandi: neglecta interim, quam sedulam & accuratam Curionibus suis in ministerio sacrificij, sacramentorum, psalmis precibúsque in templo recitandis, nauare debent, opera. Statuit autem, vt ab Ecclesię Rhemēsis scholastico (hoc enim titulo Seminarij, id est Collegij Episcopalis magister quōdam ornabatur) in Seminario primùm probentur: si cōtinenter legere, si scitè pingere, si cantu simplici vocem inflectere didicerint. Nam illos hæc tria tenere voluit: vt Ecclesiis, quibus addicti inscriptíque sunt pro officio queant inseruire. Singulos cuiusque decanatus Curiones illorū in codicillo descriptum numerum

De Tonsurandis statutum Ecclesiæ salutare.

numerum Decano lustranti offerre, Decanum Episcopo in Synodo generali: vt eorum qui sint in officio, afferatur immunitas: cuius amissione contemptus aliorum tarditásque vindicetur. Clericorum denique numerum ex catalogo qui sit Episcopi signo communitus, ad ciuilem in eo loco, cuius fuerint, magistratum à Curione ex illa Synodo reuertente quotannis referri. Sic enim fore, vt & clericorum retineatur libertas, nec illi patrociniorum iura frustrentur: & psallentium atque ministrantium in templo frequentia, vicanorum sacrorum cultus decórque, qui antea fuit, in Ecclesiis restituatur. Domi quum pranderet cœnarétve, mensam ipsemet precatione lustrabat, rectus gratias agebat, mutuatis ex scriptura sancta, pro ratione temporum, versiculis: & ad mensam adhibita ab Eleemosynario sacri cuiusdam Doctoris lectione. Rem diuinam ipse per se libenter & sæpè faciebat: eáque religione & cæremonia, vt præsentibus summam attẽtionem, & sursum ad Deum erecti cordis atque acerbæ præteritorum delictorum recordationis non obscuram significationem, nonnunquam etiam lachrymas excitaret. Frequens concursus ad accipiẽdam de manu illius Eucharistiã coegit illũ sæpè & subinde quiescere, & producto ad meridiem sacro vnum & alterum in ministerium communionis assumere. Quin eo ministrante duodecim hominum millia, vno die, certissima memoria, in communionẽ & societatem

Caroli mẽsa.

Sacrificia.

Populi concursus ad cõmunionẽ sacra faciente Carolo.

ſanctiſſimi corporis Chriſti cõuenerunt. Iam quod ſummam officij religionẽ & inuictum à labore animum declarauit, vno natalis Domini die tria ſacra fecit: antelucanum, & tertium cum ſolenni apparatu, primario ſcilicet diaconorũ, atque hypodiaconorum ſecũdario miniſterio & precationibus in canticum recitatis: matutinis item precibus & veſpertinis non adfuit modò, ſed præfuit, & præſulis partes egit. tum, quo nõ eſt in Eccleſia munus aliud nec vſu præclarius, nec ad præſtandum difficilius, per horam & ſeſqui cõcionatus eſt. atque hæc omnia vno, vt dixi, die. Taceo, quas vrgentibus bellorum ciuilium anguſtiis, ad expianda peccata & placandam iram Dei ſæpe ſupplicationes indixit: & eas maximè, ad quas nudis omnino & pedibus & tibiis, ſqualoris & pulueris plenus, ſemel & iterum proceſſit. Itaque cũ omnes in eum oculos coniicerent, mirabantur alij in Principe tantam animi ſubmiſſionem: verebantur alij, ne quid illi per iſta nudipedalia concepto frigore importaretur incommodi: omnes autem idẽ eius imitatione & exẽplo faciebant. Taceam celeberrimam illam natalis rediuiuæ humanitatis Chriſti ſupplicationem, quam in memoriam profectionis ſanctarum matronarũ ad monumentum, fieri in Eccleſia Rhemenſi ſub crepuſculum diei inſtituit? Vnum cum bona venia cæterarum Galliæ Eccleſiarum dicam, nullam eſſe, in qua verbũ Domini magis aſſiduè ſimpliciterque magis

[Margin: Nudipedales ſupplicationes.]

[Margin: Paſchalis ſupplicationis inſtitutio]

[Margin: Verbũ Dei Rhemis purè prædicatum.]

magis, ex veteri patrũ concionandi ratione, ex ipſis Chriſti puris fontibus, & priſcorũ Eccleſiæ doctorum monimentis, populo propoſitum atque prędicatum fuerit. Eccleſiaſtem habebat, quem honoris cauſa nomino, Iacobum à prato, lectiſſimũ Theologum, & in hoc concionandi genere caſtè, integréque per annos complures continenter exercitũ. Quos etiam cunque nouiſſet in eo genere præſtantes, nulli ſumptui parcens, adhibebat. Quadrageſimales cõciones primus in metropolitano templo fieri inſtituit, quum antea in vno vrbis angulo haberentur: eáque ab auditoribus ſolitudine, quæ Eccleſiaſtis ſtudium remitteret. Nunc verò nulla cuiuſquam templi ſpatia ſunt, quæ auditorum maiore frequentia nobilitentur: vrbs nulla, cuius anguſtiæ vicorum, & platearũ amplitudines maiore ad ſupplicationes procedentium conuentu celebrentur. Dũ ſacra fiunt magna omnino in vicis ciuitatis ſolitudo: & in templum, præſertim metropolitanum, longè ſuperiorum temporum diſſimilis ciuium cõuentus, in eóque ſingulorum longè religioſior habitus: ſublato, qui circum chorum & pronao fiebat, inambulationum murmure, ſtrepituque quaſi forẽſi, & prophanis quibuſque de negotiis cõfabulationibus. Dum verbum Dei proponitur, mirum vrbe tota ſilentium: prohibitis, quæ erant circum cauponas & ſphæriſteria, concurſationibus. adeò vt vrbẽ ingreſſi peregrini, vná ex paucis in antiquũ

Iacobus à prato Eccleſiaſtes Rhemenſ.

Quadrageſ. cõciones in metrop. tẽplo fieri inſtituit.

Vrbis Rhemenſis religio.

dignitatis Ecclesiarum statum ordinémque restitutam prædicent. Primus delictorum, quorum iudicium ad Episcopum refertur, disceptatorem (Pœnitentiarium vocant) ad salutem & summam conscientiæ peccantium tranquillitaté in Ecclesia Rhemensi instituit. Iam quum Ecclesiastici cantus inflexiones & moræ in breuibus dictionum syllabis vt plurimùm insistant, & longam nonnunquam faciant, quæ breuis est, & contrà: statuit nominatim, vt cantus syllabæ quantitati, non syllaba cantus inflexioni seruiat. Dicebat enim, in externa concione de reipub. negotiis si orator paulò se extra numerũ mouerit: si in temporibus syllabarum ducendis vel cõtrahendis offenderit, ridetur & contemnitur: In Ecclesia, quæ canentium Domino gestum moderatiorem requirit, quæ sicut morum magistra est, sic bonarum artium parens & educatrix, vt in foro, vt in cãtiuncula peccare te dices? Canonicorum collegium cùm Theologis, quos vndecim eodẽ tempore recẽsui, tum iuris vtriusque doctoribus & medicis, præ cæteris auxit. Et canonicos amauit, vt filios vnicè, sempérque coluit vt fratres: quos vicissim sui omnino obseruãtissimos agnouit, & naturæ suę bonitati, studiísque obsequentissimos. Antiquã illam quidem, sed Ecclesiæ maximè perniciosam fidem conscientiæ, de sacerdotiorum vicanorum possessione, sic commouit: vt eo monitore & authore ea ipsi sua sponte eiurarint, iis se abdica-

Pœnitentiarij institutio.

Cantus in Eccle. Rhemensi. reformatio.

Amor Caroli in Canonicos Rhemenses.

abdicarint: iam vt nullus apud eos assiduitatis ministerij, quam recepto sacerdotio quisquam iuramento vouerit, lege soluatur: nulla vt absentis ratio habeatur. Quo tempore fundata ab eo quotidiana panis & vini, quantum Canonico abundè suppetit, distributio non mediocrem attulit illorum præbendis accessionem. Sin ad alia, quibus ciues suos affecit, ornamenta dignitatis veniamus, dicam, quod obscurari non potest, imò quod illi ipsi mihi facilè concedent: Ex quo Archiepiscopus & Dux institutus fuit, vrbem religionis pietate sanctiorem, vitæ cultu moribúsque cùm vrbanitatis & humanitatis, tum iis virtutibus, à quibus boni viri nominantur, longè expolitioré, mercatura celebriorém, opibus abundantiorem, Regum beneficiis ornatiorem, priuilegiísque & immunitatibus liberiorem, vallis, fossis, aliísque præsidiis & munitionibus potentiorem, multitudine ciuium frequentiorem, ædificiorum pulchritudine & elegantia splendidiorem, literarum studiis florentiorem, doctorum hominũ numero partibus omnibus copiosiorem, legibus, iudiciis, iure firmiorem: Denique Carolum Lotharingum Durocottorum suam, moribus & vita alioqui duram, lateritiam inuenisse, sed ex lutea auream & marmoream reliquisse. Primùm (quod plerique omnes faciunt simplices & aperti homines, vt quales ipsi sunt, tales seipsos prima statim facie declarent: eáque promant initiò, quorum

Curatorum residentia.

Distributionis panis & vini in dies singulos Canonicis faciendę institutio.

Vrbs Remensis à Carolo multis aucta partibus.

Academia Rhemẽsis.

ſtudio maximè teneantur) Academiam, Philoſophiæ, Medicinæ, vtriuſque Iuris & Theologiæ generale ſtudium fundauit, tanquam cæterorum ornamentorum, quibus olim vrbem ſuam aucturus erat, firmum atque ſolidum fundamentum. Iam quum olim prouocationum definiendarum, omnínoque iuris obtinendi cauſa ad Laudunenſium forum aſcenderét: perfecit, vt apud eos eſſet Iudicum Decuria Senatoria: quę ad ſempiternum vrbis ornamentum, patriæ ſummam vtilitatem, & authoris æternum gloriæ decus vigebit memoria Rhemenſium omnium. Vrbs ex altera ad occidentem parte, ea nimirum qua Vidula fluuio alluitur, erat obſita multis longíſque paludibus. Ad quas quum ne pecudibus quidem ipſis ad paſcua pateret aditus, nulli oppidanis erant vſui. Hæ verò magno Caroli conſilio & ex authoritate Regia ſiccatæ ſunt: excauato Vidulę fluxus inferiore alueo ad aquarum deſcenſum & nauigiorum ad merces conuehendas vſum. Tum hæ partitę in iugera & oppidanis venditæ magno pretio, in hortos & prata ad ſummam vrbis & amœnitatem & vtilitatem inſtructæ. Ex earum etiam venditione ingens omnino conflata pecunia: quæ ad excauandas ad iſtam potiſſimum vrbis partem foſſas & propugnacula inſumpta eſt, adhibitis ad operam valentibus pauperibus: qui toto caritatis annonæ acerbiſſimo ſeptennio, & inde poſtea diu in opere faciundo occupati, ſibi victum compara-

Sedis præſidialis inſtitutio.

Paludes in hortos & prata inſtructæ.

De pauperũ validorum & inualidorum alimonia conſtituit.

compararunt, & simul vrbem altissimis fossis, firmissimis vallis & præsidiis muniuerunt. Cæteros autem ad corporis munera vel senectute vel valetudine imbecilliores, distributos per Parochias, & sigillatim ciuium potentiorum cuique pro facultatum modo, plures aliis, aliis pauciores attributos, cùm leguminibus conditóque, si facultas esset, iure, tum panis ad certum pondus & iustum cuiusque diei demensum constituta pensione, alendos curauit. Ipse interim primus symbolum dans: exemplo vt suo suos ciues ad id in pauperes exhibēdum officium inuitaret. Nec verò prætereundum est, quòd ad exercenda iudicia & mercaturam faciendam, extruere statuerat forum: cui media vrbe, locum insigni amplitudine, metatus erat, & ligneam iam materiam, ex sylua Ianniuillea, lintribus & nauigiis conuehi curauerat. Sed nec etiam silendum, quòd quum puteanis tantùm aquis vtantur, decreuisset eodem tempore, ex proximis collibus, probatiores potui & salubriores fontanas aquas, per riuos & canales in plures vrbis platæas diducere. Quæ perfecisset vtique, nisi meditantem longa hæc nimiùm, & rebus omnibus bonis tractandis & instituendis incommoda bella retardassent: & parantem immatura atque inopinata mors occupasset. O consiliorum humanorum casus incertos & exitus ancipites! O contentionum nostrarum imbecillitatem atque fragilitatē, quæ priùs in ipso sæpè portu, quàm

Consilium de extruendo foro, & fontanis aquis in vrbem diducendis.

ſoluant, opprimuntur: quæ etiam aliquantùm progreſſæ, repentè ſæpe in ipſo curſu prius alliduntur, antè obruuntur, quàm portum attingere queant! Quid porro vultis ad hæc, quæ extant, quæque expectabātur, & proxima erant, vrbis ornamenta addam amplius? Idem, tanquam bonus poëta, extremum huius fabulæ actum quàm optimum addere volens: Seminarium, hoc eſt inſtituendæ in miniſterium Euangelij & ſacramentorum Eccleſiaſticæ iuuentutis collegium, optimis initiis, ampliſſimo ædificio, ſaluberrimo vrbis loco, ſtudiiſque extra tumultum ſtrepitúmque vicorum aptiſſimo, primus in Gallia informauit. In quo quinquaginta adoleſcentes pauperes, ſed lecti, ſed ad virtutem, ad miniſterium Eccleſię Dei bona ſpe & indole prędititi recipiuntur, aluntur, inſtituuntur. Hoc quum toto ab ipſa inſtitutione tempore ſuis opibus ſuſtētaſſet: rationes cōſtituerat, quas meditatas atque prouiſas habebat in promptu, quibus illud primo quoque tempore annuis vectigalibus in perpetuum firmaret. A quo quum impendente morte ſe impeditum præſentiret (nimirum quo tempore antè cupidè appetita occurrunt, & relictorum ingeminantur deſideria) moriens nominatim mandauit, vti illud informauerat, partibus ſuis omnibus retineri & fundari. Quod breui futurum ſperamus: præſertim quum ſereniſſimi Principes nepotes, & clariſſimi viri ſupremorum illius curatores mandatorum, nō

Seminarij inſtitutio.

Moriēs nominatim ſeminariū cōmendat perficiendum.

minùs de ſua ad hanc rem conficiendam voluntate prolixè promittant, quã huius vitæ moleſtiis defun-ctus Carolus ſolitus erat de propria polliceri. Sic fiet, vt quãtam iacturã factura erat Eccleſia ad inſignem arbitrûm teſtamentariorum ignominiæ notam, ad graue conſcientiæ pondus & labem perpetuam, ſi excidiſſet; tantùm eadem acceſſionis bonorum ex ipſius perfectione, ad æternam conditoris memoriam, ad illius extremę voluntatis miniſtrorum cum eo in hac laude meritóque communionem, ſit acceptura. Idem vbique ſui ſemper ſimilis, nuper apud vos Academiã Muſſipontanã ſub inſtituto & diſciplina Ieſuiſtarũ fœlicibus auſpiciis inſtituit. Quod mehercule beneficiũ eiuſmodi eſt: vt etiam ſi nullũ aliud ab eo in vos antea extitiſſet, tamẽ propter hoc vnum gratiſſimis animis eius memoriã omni, quo ſteterit illa tẽpore, colere debeatis: vt ſtet autẽ perpetuò, veſtrũ eſt maturè prouidere. Quid enim huic vrbi ad declinandam ſui nominis inuidiam: Lotharingiæ ad bonorum omnium, quæ cum literarum ſtudiis ſimul affluunt, amplificationem maius conferri potuit? Dicebatur antea Pons ἄμουσος vrbs, in qua hæc erecta eſt: nunc verò muſarum, quas iam illa parturit, mater. Ad quam ex Germania, Gallia, proximis vrbibus, & vicis accurrentium ea iam frequentia eſt: is longus ordo venientium ex tranſpontanis, media interiecta Moſella, ad ſonitum tintinnabuli in Ciſpontanum gymnaſium: vt mirum ſit

Academiæ Muſſipõtanæ inſtitutio.

Pontamouſon.

tantum, tam breui tempore, auditorum numerum confluxisse. Fuit hactenus, Auditores, ingenij virtutúmque, quibus Carolus princeps noster claruit, rudis quædam adumbratio. Hic illius industriæ cursus: qui vt regno semper vtilis fuerit, & ei vt initio tranquillus, post autem quàm turbulentus, mecum, quæso, ea, qua facitis, attentione recognoscite. Quinque regum temporibus hic floruit, sub quibus, plus vno quàm Esaias, egit sacrorum interpretem: & fortè pluribus, quàm regno & ipsi fuisset, nisi sic Deo prouidente, necessarium: & iis temporibus, quibus magnas omnino in singulis regni ordinibus voluntatum, rerúmque omnium cõuersiones & inclinationes accidisse, naturale hominum ingenium indicat, procliue ad omnem, quæ ex successione regum contigerit, studiorum formam & morum vitæque commutationem. Sub Francisco primo actionis vitæ protasis excepta omni comitate & gratia, futuro maioris dignitatis & authoritatis statui prælusit: ad eámque consiliorum fidẽ & prudentiã facilem aditum præmuniuit, quẽ sub Henrico obtinuit. Quo regnante, Lilium integrum, beatum, omnibus ornamentis religionis, cultu literarum, studiis, opibus, victoriis floruit. Quorum omnium maximam partem suo iure sibi vendicare potest illud tot egregiis facinoribus nobilitatũ Francisci & Caroli par fratrũ. Nam illius arma eo præcipuè tẽpore claruerũt, huius consilia & li-

Transitio ad res gestas Caroli & Guysij fratris in vsum Galliæ.

Carolus quinque Regibus Galliæ seruiuit.

Caroli & Ducis Guysij literæ & arma sub Hẽrico rege florent.

& literæ in pretio & honore fuerunt. De quibus dicam, quando mihi apud eos eſt oratio, qui hæc propiùs cognouerunt, qui hæc non viderunt modò ſed interfuerunt, ſed quorum ipſi magna pars fuerunt: & hoc, ſpero, bonorum omnium conſenſu dicam: quandiu illud ſanctum par fratrum in Gallia ſtetit, eã illorũ præſidiis aut omnino, aut multò maiore ex parte ſtetiſſe: quãdiu ſtetit, Gallos Troes fuiſſe, fuiſſe Galliam, & ingentem Gallorum gloriam fuiſſe. Nam, quod huic primùm familiæ fauſtum fuit & fœlix, teſtis Maria Lotharingia Scotorum regina vidua: quæ cum regina pupilla filiola ad exercitus Britannici in Scotiam aduentum fugiens, Gallorum prę ſidio ſeruata eſt, magnáque hoſtium clade, fugato depulſóque exercitu, Regnum eius armis poſtea & legibus ſtabilitum. Teſtis Bononia, Morinorum vrbs firmiſſima: quæ regnante Franciſco in Britannorum poteſtatem venerat. Ad quam recuperandam certa facta impreſſione, Franciſcus infeſtis haſtis procurrens faciem lancea hinc atque illinc trãſfixus, velut mortuus ſubductus eſt: ſingulari tamen Dei beneficio ad res, quas poſtea geſſit, pro regni ſalute ſeruatus. Lanceæ ſpiculum, quod infixum hæſerat, aſſeruat apud ſe Princeps vt annis, ſic virtute fœta & matura, adhuc ad exemplum antiquæ Principum dignitatis & religionis viuens vtriuſque mater. Vrbs poſtea non multo ſanguine, ſed tamen opportunè & valdè præclarè à

Bononia à Gallis recepta.

Guyſius faciem lancea transfixus.

G

Metis à Guysio contra Cæsaris exercitũ seruata.

Gallis recepta. Vbi quòd alterius arma tentarunt, id alterius consiliũ confecit. Testis Mediomatricũ à Francisco seruata salus & incolumitas. Angebatur Carolus imperator sibi à partibus Germaniæ in Galliã interclusum aditum: ereptis sibi Meti, Verduno, Tullo, Danuillerio, Iuoëo, quibus tempore belli ad summam Gallorũ perniciem vtebatur. Itaque cùm audisset Rex maximum atque ornatissimũ fortissimorum militum ab eo collectum exercitum ad Metim aduentare, Cæsarẽ ei præesse: huic omni Germanorum, quaque maxima poterat potentia nitenti, & incũbenti summa vi ad hæc sarcienda accepta incommoda, opposuit illi Ducis Guysij laborem in negotiis, in periculis fortitudinem, consiliũ in deliberando, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo: quibus boni Ducis virtutibus subnixa eius in hoc bello, vt in aliis semper, fœlicitas, vrbem clarissimam maxima atque rebus omnibus bellicis ornata & instructa multitudine obsessam & oppugnatam vehementissimè, summis obsidionis periculis liberauit: ipsúmque Cæsarem in Germaniam maximo cum suo incommodo redire coegit. In qua victoria, tanta fuit in Hispanos & Germanos vel ægrotos, vel in ipso deserendorum castrorũ tempore propter hyemis iniurias, impeditos humanitate, vt dictu sit difficile, vtrum illi pugnantis virtutem magis timuerint, quàm victi mansuetudinem victoris dilexerint. Testis aliquantò pòst Ma-

riębur-

riçburgum, natura loci & arte firmiſſimum expugnatum oppidum: omnibus Arduennarum exciſis & inçenſis munitionibus, Bouinis expugnatis, capto Dionãto, Bintio euerſo, omnibus hoſtium copiis, etiam ipſo armato hoſte ſpectãte, vaſtatis. Teſtis ad Rantium pugna: in qua primã Cæſaris exercitus aciem Franciſcus fudit & profligauit, Cæſarémque ipſum ex media pugnantem fugauit: & fugientem ad triumphum abduxiſſet, niſi (vt ferunt) ad eius gloriæ inuidiam ſignum receptui datũ perſequentem reuocaſſet. quibus omnibus exagitatus Cæſar, & fortè de illuſtri ſua gloria ac fortuna, extremo demum ætatis tempore diffidens, ſtatuit integra ſua fama à negotiis ſe publicis remouere, & florentiſſimum filium Regem, Gallorũ (Franciſco duce) fœlicitati opponere. Duobus ferè pòſt, quàm hæc acta ſunt, annis, Paulus 4. Pontifex maximus ab Albano Duce, pro Hiſpano in Sicilia prætore, occupatis iam multis in Italia propugnaculis, bello laceſſitus auxilium à Gallo implorat. Eò à Rege dimiſſus Guyſius, non ita cum magno, ſed tamen lectiſſimorum cùm equitum, tum peditum exercitu, Romam obſidione liberat, ipſúmque Pontificẽ ſibi ac ſuis diffidentem fortunis cõfirmat. Quo interim tempore Hiſpanus, Anglo ſibi ad belli ſocietatem conciliato, ad abſentiam Guyſij nactus in Galliam inuadendi occaſionem, hanc tenuit nec remiſit. Ingreſſus enim cũ exercitu & in illa Quintiniana malè

Guyſius in pugna Rantiaca Cęſarẽ fugat.

Guyſius in Italiam cum exercitu à rege miſſus.

Absente Guysio Sãquintinũ expugnatur fugatis in cõmissa pugna Gallis.

à nostris pugnata pugna victoriam adeptus, aliquantò etiam pòst Sanquintino expugnata, rem Gallicam ad tantum discrimen adduxit, sic perculit, sic conuulsit, vt illa nil sibi ex pristina dignitate superesse arbitraretur: vllo vt se sic fractam atque debilitatam humano vel consilio vel præsidio aduersus tantam calamitatem, tantum exultantis propter geminæ victoriæ triumphum hostis insolentiam, consistere seruaríque posse desperaret. Sic tum commoti, sic animis territi Parisienses: vt iam de fuga, de asportandis bonis, coniugibus, liberis cogitarent. Ecce autem vt ex Italia reuocatus Guysius Galliæ fines attigit: vidisses ad primùm reditus eius nuntium victis vt Gallis virtus in præcordia rediisset. Vidisses Gallos hostili deposito metu, spe verò recuperandæ salutis sic erectos, quasi spiritum & vitam recepissent. Nec illos de eo spes fefellit. Nam in ipso primùm itinere hostem Burgo Bressiano oppido, Bressinensique atque Lugdunensi agro insidias molientem coercuit, & iam eius erũpentibus copiis, sed repressis, totam illã prouinciam saluam atque integram regno conseruauit. In hoc interim tam improuiso & repentino casu paratum & promptum Caroli fratris consiliũ illuxit. Nam quũ ex omnibus Galliæ Senatoribus, quòd alij partim bello capti essent, partim alij occidissent, vnus propè superesset: eius singulari prudentia vrbes proximæ firmatæ præsidiis, castella munita

Lætitia Galliæ in reditu Guysij.

Guysius rediẽs prouinciam Bressinẽsem liberat.

Caroli consilia post Sãquintinam pugnam.

munita: viæ, quibus hoſti longior in Galliam patebat aditus, ſic obſepitæ, ſic interclufæ, vt dum fratris ſuſtinetur reditus, Victoris motus & conatus ruina maiori prohibiti ſint. Diſſipatæ poſt pugnam reliquiæ exercitus collectæ ab eo, & conſtitutæ. Ad quas Franciſcus ſuas ex reditu copias quum adiunxiſſet, iuſtum nactus exercitum ad Caletos, contra omnium opinionem, progreditur. quos inexpugnabiles ſemper habitos, ſeptimo tamen ab obſidione die armis recepit, ducentis & ampliùs annis, quàm ab Anglis annali obſidione capti fuiſſent. eodémque vno aditu atque aduentu Guynam, caſtellum munitiſſimum, euertit Hamámque ſubegit. Anglos denique, qui occupata hac Galliæ parte ſe regni Gallici claues ad omnem, quum libuiſſet, ingreſſum in procinctu habere gloriabantur, ex tota Gallia ad inſulares ſuos exturbauit, eiſdéque in Galliam aditum interclufit. Gallis contrà, quibus tot annos ab iſtis partibus in Angliam clauſus erat, patefecit. Hoc demum Guyſio debet, verè vt dixerit, qui ſcripſit: *Et penitus toto diuiſos orbe Britannos.* Iidem etiam poſtea ad hoc ſarciendum detrimentũ inflammato ſtudio cum inſtructiſſima claſſe in Britanniam Gallicam erumpentes, reiecti ſunt. Atque hæc qua celeritate confecta? qua? ineunte hyeme reuerſus apparuit, procedente ſuſcepit, media confecit. Difficillimo nempe totius anni brumali tempore, & alieniſſimo: cùm Gallia omni deſtituta

Caletum à Guyſio expugnata.

Angli nunc demum toto orbe diuiſi.

virtute,fracta omnino ac debilitata putaretur. Quis hanc conficiendorum bellorum celeritatem in Frãcisco non admiretur? Quis vnquam aut obeundi negotij, aut consequendi quæstus studio, tam breui tempore ab vltimis oris Italiæ merces in Galliam aduexit, quàm ille integrum exercitum celeriter reduxit? Magna omnino huius Ducis virtus: quæ, quod superiores Galliæ Reges aut nunquam tentauerant, aut frustrà ausi fuerant, hanc opimam Galliæ partem, hoc tutissimum contra hostes propugnaculum, hoc regni (vt ita dicam) claustrum Gallis restituit. Testis Theonuilla: in qua, vt cursus cursu, sic vis victa vi, & virtus virtute superata est. Nam quum Cæsar Mediomatricum viciniatem semper extimuisset: & antè multò, quàm obsideretur, oppugnatam iri præsentiens, lectissimorum militum, quantum ei visum fuerat, præsidio aliísque ad vrbis defensionem munitionibus eam firmasset: hanc tamen ante trigesimum, quàm obsessa est, diem, Franciscus armis subegit: non tamen sine magno vitæ suæ discrimine. In iis enim castris Strozius, ex quatuor Galliæ polemarchis tribunísue militum vnus, tormento ex vrbe cæsus interiit, Francisco eodẽ tempore in alterum eius humerum ad colloquium incumbente. Testes ad Ambianum reparata, post amissum ad Grauelinguam exercitum, castra Gallica: quæ ex Theonuillæ triũpho reuersum Guysiũ quum recepissent, exultantis propter

Theonuilla à Guysio expugnata.

propter recentem victoriam hostis ferrum & audaciam, ferro contrà & virtute sic continuerunt, sic suspensum tenuerunt, vt nil tentare, nil aggredi sit ausus. Testis demum conciliata eo ipso tempore cum Hispano & Anglo salutaris & amica pacis trãquillitas. Nam tum duo maximi & fortissimi exercitus, alter è regione oppositus alteri, quum starent: experti sæpe, quàm sit omnis belli Mars communis, & incerti bellorum exitus: obseruarent porrò alterius regni salutem omnem in hoc vno prælio periclitari, statuerunt alterum in alterius vicissim honestas pacis cõditiones depacisci satiùs esse, quàm annorum tanto decursu, ad summam regnorum calamitatem, mutuis se & continuis bellis prouocare. Exinde constitutis ab vtraque parte probatæ fidei pacificatoribus, pro Gallis Carolo Lotharingo, res tandem multis antè vltrò citróque agitatis rationibus confecta est: cuius otij pacísque beneficio adhuc Gallia fruitur. O fœlicem bellorũ exitum, quo nimirũ tam diuturna & tam crudelia bella oppressa sunt! quo vtrinque voluntaria quadam obliuione contritis offensionibus, inter duos maximos & potentissimos orbis Christiani Reges pax conuenit! O Francisci & Caroli Lotharingorum Principum fœlix par fratrum! quorum potissimùm alterius armis, alterius consilio, vtriusque singulari fide fretus desideratissimus Regum Henricus Valesius, regnũ ab omni hostis externi timore liberũ, omnibus vniuersi

Pax cũ Hispano, quæ etiam nunc durat.

orbis regnis & prouinciis amicum, moriēs reliquit. Hanc postea societatis & amicitiæ regum coniunctionē variis artibus dirimere conati sunt hæretici: & proximum fuit, vt distraheretur. Sed huius factionis Principem malus genius, quo agebatur hic, vt idē priùs in excitandis in Gallia ciuilibus bellis, ad suspēdium & inferas vmbras valde opportunè ante quàm instituta perficeret, adegit. Hactenus, Aud. Francisci & Caroli fratrū principum, vitæ primum actū adumbraui. In quo quāuis magnos pro Gallia susceperint labores, magna pericula subierint, beati tamen & florentes vixerunt. Sequitur, vt quod initio me facturum recepi, de posteriore dicā. In quo (Deum immortalē!) quàm horribiles & miseri casus contigerunt! quàm diuersa illorū fortunarum fuit commutatio? Quàm incitata temporum & rerum misera conuersio atque perturbatio! Quæ vt in experiundo vobis molesta nō fuerunt, præsertim nulla aut non simili perfunctis molestia: sic in audiendo minùs grauia videri debebunt. quin tantò iucundiora, quantò aliorum naufragium, quasi è terra, spectantibus ipsa misericordia iucundior esse solet. Confectis igitur in Gallia bellis, & pace cum omnibus orbis principibus conciliata, spes erat, vt Gallia diuturna pacis & otij tranquillitate frueretur: Et Principes nostri secura recordatione præteritorum periculorum recreati, regiísque honoribus & muneribus ornati, vitæ, quod supererat, curriculum

Trāsitio ad secundā partem concionis.

quietè & placidè conficerent. At qui superiorum bellorũ temporibus ex imo refuso Acheronte, velut per cuniculos in Galliam timidè & obscurè serpẽtes irrepserant hæretici, & hactenus latuerãt: tum apertum sibi rati ex inopinata Hẽrici Regis cæde, quem iamdiu aucupabantur aditum, cœperunt caput in auras attollere, & impiis suis conatibus velificari. Ad hãc tragœdiam Ambasiana Principum Catholicorum denotata & tẽtata cæde primùm prolusum est. In qua primi nostri duo Principes nominatim erant designati. Sed non humana cuiusquam vigilãtia, Dei potiùs (cuius est in Principes propria prouidentia) singulari beneficio, ex occultis insidiis in apertum crimen coniecti sunt serui atque ministri coniurationis: ex iísque nonnulli dignas tanta audacia, tanto & tam atroci facinore pœnas morte susceperunt. Alij eo ipso anno in Scotiam, adiuuantibus Britannis insularibus, introducti, magnos omnino tumultus bellorum in causa religionis ibidem commouerunt. Quibus oppressa regina soror Principum nostrorum, dum à Gallis ex iure societatis salutis subsidiũ expectat, violatæ religionis indignitate & mœrore confecta obiit. Hoc primum fuit, quod his cõmunibus temporum casibus clarissima Guysiorum familia ab hæreticis vulnus accepit. In illa igitur Ambasiana turba, quum initiò calculum rerum suarum malè promouissent hæretici: quando hac non successerat, alia aggrediuntur via.

Finitis externis bellis, domesticum ab hæreticis infertur.

Ambasiana coniuratio.

Carolus & Guysius ad cædem designati.

Regina Scotorum soror horũ Principũ ab hæreticis bello oppressa moritur.

Bellorũ ciuilium gliscens tumultus.

Amplissimam illam orbis terrarum ciuitatem Lutetiam, clandestinis primùm conuenticulis & colloquiis, tum apertis cócionibus aggrediuntur: & doctrinæ Bezanæ vesanæque, ad omnes voluptatũ & cupiditatũ illecebras fręna laxantis, lenocinio viros primarios & eos ex plebe, quos ad hác carnis libertaté diuturna vitæ turpitudo propésiores effecerat, capiunt. Eò demũ res progreditur, vt elati virorum, quos illexerant, splendore & authoritate: aliorum, quos ad oppugnandã vrbem sibi corrogauerát, numero confisi, trepidantibus & armorum vsu interdictis ciuibus, armati ferrum flammámque minitarentur: vt ad cædem bonos quosque designarent, distribuerent Galliæ partes ad prædam. Aliis Episcopatus, aliis Abbatias ad erigendos Ducatus vel Comitatus instituẽdos: aliis aliud atq; aliud ex bonis Ecclesiasticis ad augendã cuiusque rem priuatã promitterent. Huius itaque factionis partim apertis hostibus, partim dissimulatis, & quò res tandem euaderet, expectantibus plena quum esset ciuitas: In id fortunarum suarum discrimen inciderat, vt quem Deum appellaret, quò se verteret, ignoraret planè. Subsidium Guysij tandem à Rege obtinet: cuius aduentus rumor istorum ardorem extinxit & insultantiũ conatus inflammatos plurimùm repressit. Ingressus verò, nullo adhibito marte, sine armorum conflictu, omnes dissipauit, vrbem purgauit, illámque magno metu liberauit. Quod istis ciuiliũ armorum

Guysius Parisienses seruat.

armorum temporibus primùm fuit Guysij in Parisienses conseruatæ salutis beneficium. Quamobrem secundò iam sua spe frustrati hæretici, quando nil eorum quæ occultè tentarent procederet: statuunt, quod tectum animo & inclusum iamdiu continebānt, palàm in ore & oculis totius Galliæ facere. Et quod in vrbe, quæ regni caput esset, perficere fuerant prohibiti, hoc ad alias conuertere, extremáque omnia experiri. Iam tum, velut ex equo Troiano, huc atque illuc emissi incendiarij, alij Aureliam ex improuiso occupare. Turones alij, alij Pictones, totam ferè Aquitaniā armis obtinere. Alij Rothomagum, & ex cōpluribus aliis prouinciis potentissimas quasque ciuitates opprimere. Singuli Regia vectigalia intercipere, & prouinciarum ornamentis omnibus, pro spoliis, abuti. Sacerdotes fugare: & quos comprehendissent, ignominiis omnibus appetitos, crudelissimè necare. Templa omnia diripere: eáque vel incendiis vastāre, vel omni turpitudine fœdare. Denique omnia cùm humana, tum diuina iura peruertendo, regnum, quod antè pacatissimum erat, non solùm turbare, sed in eo longè teterrimum & periculosissimum bellum (quippe domesticum & intestinum) quàm superiora contra externos hostes, accendere. Tum verò manifesta fides, & perduellium hactenus tectæ blanda quadam religionis specie patescunt insidiæ. Quibus afflictæ ciuitates & prouinciæ tunc

Primū, quod aperto marte hæretici in Gallia mouerunt, bellum.

primùm grauiter gemere. Proximæ ſimiliter, ad imminens ſibi ex vicinitate periculum, tremere. Omnes autem de ſuis fortunis apud Regem queri & expoſtulare, fidémque illius & auxilium contra nouorum prophetarum tyrannidem implorare. In ea rerum perturbatione, ſtatuitur bellum ſuſcipiendum. Idque non ipſo genere magis neceſſarium, quàm magnitudine periculoſum: quippe in eo agi non vrbium modò, quæ plurimæ occupatæ eſſent, receptionem: non earum quæ integræ eſſent, conſeruationem: non certarum prouinciarum ſalutem: ſed agi ipſum regium diadema, peti ſummam Regni, agi denique certiſſimam pietatis Catholicæ ruinam: pro qua bonus quiſque ſanguinem profundere, nedum fortunas ſuas inſumere, debeat. Reſtabat quis Imperator ad id tantum bellum deligeretur. Quæ deliberatio nouam, eámque plurimùm ancipitem afferebat curam cogitandi. Erat quidem tum Gallia plena multorum magnorum & fortium virorum, ſed apertè innocentium, & in quibus ineſſent boni imperatoris, boni ſimul & Catholici viri virtutes, aut magna re ipſa penuria erat: aut in tanta morum & rerum cõmutatione, multæ latebræ variíque receſſus in animis hominum, hanc bonis ſuſpicionem iniecerant & timorem. Vnus potiſſimùm delectus eſt glorioſiſſimus Princeps Dux Guyſius: & huic bello, propter probatam in multis antea & variis Galliæ caſibus militarẽ virtutẽ fidémque

Guyſius Iãniuilla euocatur ad Regium contra hæreticos exercitum.

fidémque, præfectus. Is autem tum aberat à Gallia, in Lotharingiam ad ſuos, poſt ſeruatam Lutetiam, reuerſus. Multis ad eum à Rege pupillo, & Regina matre literis euocatus, diu tamen multúmque refragatus eſt: quippe qui non inueniret, quemadmodũ in ea rerum perturbatione contra domeſticos, contra affines, contra Regni potentiores ciuitates iis armis ſalutariter vteretur, quibus antè contra externos hoſtes fœliciter & glorioſè vſus fuiſſet. Accedit, quòd tum fortè prouideret Regis cùm exercitum, tum cõſilium diuerſis hominũ ingeniis mixtũ & varium: proindéque nimis molle, nimis longũ & non acre, nec apertum cõtra ſeditioſos bellum fore. Nam eos adhuc eſſe cum Rege, in Senatum venire, fieri conſiliorum participes: qui non videndo, quæ antea coniuratores moliebantur, vel ea, ſi viderent, diſſimulando, mollibus ſententiis ſpem hæreticorum aluiſſent: qui naſcenti malo non occurrendo, ſed illud de die in diem ſuſtentando & prolatando coniuratorum conatus & factiones corroboraſſent: niſi etiam re conſilióque ſuo iuuiſſent: & falsò perſuaſi quiddam in his obſcurè contra ſua priuata cõmoda tentari, eos etiam contra regnum armaſſent. Idem contra Galliam vaſtari, religioſiſſima templa incendio conflagrare, patrias leges, religionem ipſam violari, opprimi, ſacroſancta myſteria pedibus conculcari quum audiret, eiúſque vehemẽter ipſum pœniteret & tæderet: inde ſublato omnis

Venire recuſat, & cur.

periculi, omnis inuidiæ metu, quam maiorem incursurus esset, si salutem Ecclesiæ regníque negligeret: victus tandem certo regio mandato & bonorum omnium assiduis efflagitationibus acquieuit, venit: & qui Regi & Reginæ parere didicerat, iussus hoc bellum administrandum suscepit cum duobus aliis quidem clarissimis Ducibus: sed Guysiorum quoniam esset ab hæresi & perduellionis reatu integra familia, nec vlli suspecta, ideóque simpliciter & apertè, nil coniuratoribus cócedens, bellum administratura crederetur, hôc etiam magis in Francisci persona totius huius belli causa regníque salus cóstabat. Dimissis itaque quoquouersus copiis ad recipiédas, quæ ex improuiso ab hæreticis interceptæ fuerant, vrbes: & receptis Turonibus, iísque, quæ ad Ligerim sunt, propugnaculis omnibus, Andegauensibus, Pictonibus, Biturigibus, Tolosa de fortunis suis plurimùm diffidente confirmata, opportuno omninò tempore Guysius Rothomagum oppugnauit. Nam tum collecto ex omni flagitiosorum colluuione nefandissimo exercitu, maximè ex ea gente, cuius præcipua laus est, (ait ex ea oriundus vir doctissimus) quàmplurimos mortales ferro trucidasse: atque hôc fœdius, quòd nulla adhibita iuris & æquitatis ratione, dignitate causæ, vel indignitate, hoc faciat: & hoc mercede conducta faciat, veluti carnifex quispiam ad lanienã pretio conductus, quo quid turpius exprobrari potest: iis præ-

Triumuiratus.

Guysius Rothomagũ ab hæreticis recipit.

De Germanorum moribus Erasmi sentétia, Chil.2.Cét. 6. Adag.25.

iis præſertim, apud quos ſacri, Chriſtiani ſcilicet, imperij maieſtas reſidet? Quum igitur corrogaſſe hoſtis maximum & inſtructiſſimum exercitum: & cùm magnis itineribus Lutetiã contendere in ipſa Rothomagi obſeſſione audiſſet Guyſius, accelerata oppugnatione victorem exercitum incredibili celeritate & prudentia, vno antè die Lutetiam tranſmiſit, quàm hæreticus ad eam obſidendam caſtra metatus eſſet. Obſeſſa nihilominus eſt. Quo tempore quum foris eſſet gladius, intus etiã ingens pauor ab iis, qui hominis Catholici & boni ciuis fidem atque integritatem verbo & fronte ſimularent: Vrbis tamen rebus integris, quum hoſtis caſtra coactus mouiſſet, & iter verſus Angliam ad fœderatam ſibi gentem arriperet: ad Duram fluuiũ, in Carnutorum finibus properantem perſequutus Guyſius, collatis ſignis, vno prælio, exercitum illius (quamuis non ſine multorum ſanguine & vulneribus ea victoria ſteterit) fudit & profligauit. Primis pugnæ impreſſionibus Catholicorum magna fuit ſtrages. Armigerum Guyſij iiſdem, quibus ille ſolebat, armis & equo inſtructũ Gaſpardus Colignius, acie, quantùm inflammati oculi contendere poterant, vt notauit: præcipuam in eum pugnæ molem & pondus conuertit. Vbi inclinatis bonorum partibus hunc, in quem vnum potiſſimùm ſua ſemper tela conuertit, quem huius mucro ſemper petiuit, quem ſemper timuit, ab ſe interfectũ credit. Victor

Lutetia ab hæreticis obſidetur.

Guyſius ſecundo Lutetiam ſeruat.

Prima pugna contra hęreticos in qua victor Guyſius.

ex auaritia ad prædam, velut ad maximam vim auri & argenti à Mithridate quondam relictam, conuertitur. Colligentem & spoliantem ex colle proximo obseruat Guysius: qui cum equestri turma aduolans, omnes aduersarij pedestres copias ad internecionem interficit, & æquore campi potitus, Ducémque exercitus, victorem ipsum, captum abducens, victoriam ipsam deuicit. Descendentem cum omni impetu ad suscitandam pugnam Colignius vt vidit: En, exclamat, veterator ille, cuius vmbram sequuti sumus. Actum de nobis est, excidit ex manibus nostris victoria. Qui euaserunt, concitatis equis cursu & pedum celeritate salui, sed anheli & metu exanimati, quum Aureliam peruenissent, vnicum, quod eis ex tam multis supererat, asylum, aliquantò post obsessi in eas angustias inciderant: vt aut generoso & clementissimo victori dederent se, aut ex vallo pugnantes in vrbis oppugnatione obstinatè mori cogerentur. Hîc iam belli finis erat, hæ reliquiæ vna in vrbe conclusæ. quas, sicut breui futurum erat, præsertim capto propyleo, & plurimùm conuulsis atque disiectis vrbis munitionibus, si bonus & fortis imperator oppressisset: totum reliquum bellum, hoc vno confecisset, nec saluæ postea, vel potiùs nullæ, apparuissent posteris tanti incendij scintillæ. Integra & florens, qualis tu quondam, Gallia nunc stares: nunc tu Priami arx alta maneres: nec iis, quibus etiam nunc agitaris, bellis

Guysius in Regio exercitu pro Rege imperator Aureliã oppugnat.

bellis ciuilibus arderes. Dicam hìc, quod profectò verè possum: me audiuisse de quodam, qui eo ipso tempore se Aureliæ fuisse, in eadem se periclitatum naui, diceret. Eò scilicet res suas, suos omnes conatus cò necessitatis tum recidisse: vt, stante Guysio, nec vrbis defendendæ, nec omnino salutis esset sibi spes vlla reliqua. Quamobrem coactos per insidias Guysio mortem moliri, mortem maturare, ne ipsi omnes perirent. Nam & Germanos eadem in vrbe simul conclusos fremere, tumultuari, Gallis mortẽ minitari: quòd contra datã fidem, cõtra promissam in ipso ad eos accessu à tanto periculo securitatem, ipsi ad vltimũ vitæ discrimen essent adducti. Atque hæc ipso recitante, mihi in mentem venisse: idem illorum de Guysio, quod de seruatore nostrum omnium Iesu Christo Cayphę fuisset & cõsilium & decretum: expedire nimirũ, vt vnus homo moreretur pro populo, ne tota gens periret. Ecce igitur dum his angustiis tenentur & premuntur, pecunia primùm tentatur impius carnifex & instruitur, qui prima quaque occasione Regij exercitus imperatorem Guysium trucidet. Scelus anhelans, dum ad maleficium proficiscitur, in ipso itinere subit reputare, quantas malorum accessiones & incrementa tanti ducis mors esset allatura. Se illum, qui pro rege in eo exercitu imperator esset, petere: se etiam Dominum suum (nam is eiurata hæresi, non ita multò antè, se in clientelã Guysij contulerat) se clementissimum,

Poltrotius instruitur ab hæreticis ad occidendum per insidias Guysium.

Quanta vis conscientiæ ad resistendum malo, si prius illa adhibeatur.

inquam, Dominum ſuum appetere: & eum Dominum, à quo bellicæ cuiuſdam induſtriæ opinione, non rarò adhibitus eſſet, nec minimis beneficiis ornatus: nunc demum vt pecunia corruptus, ei mortẽ maturẽ? Hìc ſicarius reſpirat, (ſicut quondam Brutus, dum ad Cæſaris cædem faciẽdam ſe cõpararet) & angore cõſcientię ſtimulatus atq; debilitatus, ſubinde erubeſcit, titubat, tandémque proprio iudicio conuictus reſtitit: & infecta re, ad authores huius ſceleris reuertitur. Tanta vis eſt conſcientiæ in homine, vt adhibita, perturbationum illius impetum cõtineat, & à ſcelere reuocet. Tanta, vt dum animo commouetur, dum ad iniuriam faciendam impellitur, ſi ſecum hæc duo verba facere, quid agò? ſuſtineat, ſit ſeipſum collecturus & eius reſpiratura cupiditas. At verò hæc etiam ille ſecum. Quid igitur? Miſerùm! Quod in hoc homine poſt violatam in Chriſtũ fidem naturæ lumen reliquum erat, extinxit archipyrata nouæ religionis miniſter. Nam is ad illius orationem perſuaſus, iuríſque iurandi religione conſtrictus, ad Guyſium tandem venit, à quo ne pedem quidem diſcedit: ſed ei aſſiduitatem præbens, idoneum inſidiarũ tempus aucupatur & obſeruat. Veſperi demum ex propyleo reuertentem ex inſidiis occupat, & immiſſa tormento venenata glande, lethale vulnus infligit imperatori, quo ſeptimo pòſt die moritur, nõ Lotharingi nominis modò, ſed imperij Gallici decus & ornamentum. Eheu fortiſſimorum

Plutarch. in vita Cæſaris & Bruti.

Vis cõſcientię in homine.

Beza oratione ſua impellit Poltrotiũ ad cædem Guyſij.

Cędes Guyſij.

morum Ducum miſerabilem & infœlicem ſortem, quibus hæc vna proditionum inexpiabili victoria vinci contingit! Cæſarem illum, quem duæ ſupra quinquaginta cum hoſte collatis ſignis pugnæ vincere non potuerunt, vnius Bruti, cui præter cætera ornamenta vitam dederat, enſe per inſidias confoſſum interire? Guyſium, quem nulla vis armorum, nulla aperta Sathanæ tyrannis perculit: quem aduentantem, quocunque procederet armatus, hoſtes horrebant, nec eius ſuſtinebant præſentiam: magnum, inquam, illum Guyſium, exercitus Gallici pro Rege imperatorem, flagellum hæreticorum & omnis nequitiæ: Gallicæ monarchiæ (quippe quæ eius armis ſtaret) robur & brachium dextrum, patrẽ Galliæ, Gallicanæ defenſorem & propugnatorem Eccleſiæ, vnius proditoris manu percuſſum & proſtratũ videre! Quid ad huius indignitatem & atrocitatem criminis, quid ad dolorem addi poteſt amplius? Durum eſt & acerbum à quoquam circumueniri: fit tamen, vt ſi ab eo, qui ſe tuum antè profeſſus ſit eſſe inimicũ, quando ab eo tibi cauere potuiſſes, hoc æquiore feras animo. Funeſtum à quoquam interimi: ſi tamen ab eo, quo cum manum cõſeras, fers mortem minùs moleſtè. At eius manu qui menſæ eſſet aſſecla tuæ, qui ſub te meruiſſet in bello ſtipendia: qui, ne manu vtereris, per inſidias occuparit, lucis huius vſuram perdere: quis non in ipſo mentis exceſſu & doloris ardore in eam vocem

Cædis indignitas.

erumpat cum Dauide, qui in simili causa laborans, Veniat, inquit, mors super illos, & descēdant in infernū viuētes? Hinc illa moriētis Guysij vnica querela, mortem quidem se non ægrè ferre: quippe à Rege & Regina matre euocatum ad hoc bellum venisse, vitam vt debitam Ecclesiæ & regno daret. Sed hoc vno se nomine casum suū dolere, quod gregarij militis malis interceptus artibus occideret. Huic tamen admissum in se facinus remittere. Vbi vix constat perpetuámne Christiani iuxtà ac fortis imperatoris in militem quondam suum liberalitatem admirari potiùs, quàm militis non immemoris solùm beneficij, sed in suum imperatorem ingrati crudeliter impietatem detestari debeamus. Ille externorum hostium conatus & impetus, omnésque bellorum incertos casus, & euentus ancipites virtute, &, qua Deus illum in gerendis bellis donauerat, fœlicitate declinare hactenus potuerat. Domesticas verò tuas insidias, scelerate Casca (quādo tuum fœdius & detestabilius est nomen, propter coniunctám Sodomiticæ turpitudinis significationem, quàm vt illud bonorum aures sustineant) qua tandem ratione, quàm vitæ innocentia, quàm humanitate, qua te fugitiuum in clientelam suam receperat, quàm beneficiis, quibus ab eo quondam ornatus fueras, effugisset? O proditoris coercendam omni supplicio perfidiam! Sed nec etiam is à Deo diu tulit impunè. Nam quonam fato, con-

Psal. 54.

In Poltrotium.

siliòue

ſilióue factum putamus: vt iniecto aculeo, proditor quum expeditus in equo comparato, haud dubiè generoſo & alipede, fugeret equis velis tota nocte, poſtero tamen die iiſdem in caſtris captus ſit, & iudicum poſtea ſententia, admotis quadrigis equis diſtentus & laniatus? An animi propter ingentis audaciæ & ſceleris crudelitatem perturbati indicium fuit? Nunquid mali illius genij ſimulachrum, ſicut quondam Cæſaris percuſſori. Bruto apparens, eum ab inſtituto remotiſſimæ regionis itinere abduxit: ſic commouit & perculit, vt prę ſenſuum ſtupore ſe circum caſtra ad ſupplicium duci non ſenſerit? Nonne potiùs Dei iuſti iudicij certiſſimum argumentum? qui & ſi pœnas à populo Gallico propter aliquod delictum in hac eius conſeruatoris cæde fortè expetere voluit: tamen quò & percuſſoris immanitatem conſtrictámque nouæ religionis perſuaſione conſcientiam, & armati Eccleſiaſtis Theologiam minimè ſibi placere doceret, hoc malum non in vno proditore ſolùm, ſed in omnibus propè huius ſceleris authoribus, (mitiùs potiùs, pro magnitudine delicti & ſupplicij tarditate) vindicauit. An Cæſaris numen, quo viuens vſus fuerat, cædis illius vltor tam acris extitit, vt non percuſſorem modò, ſed omnes, qui vel re, vel conſilio proditionis illius cōſcij fuiſſent, terra maríque perſequutus ad internecionem interemerit: huius verò glorioſiſſimi & chriſtianiſſimi Ducis ſan-

Poltrotius ſceleris conſcientia turbatus dum fuga ſupplicium vitare vult, in illud ſe coniicit.

Plutarch. in vita Cęſaris.

guinem non vindicabit Dominus, pro cuius Ecclesia dimicans impiorum manibus occubuit? Et tu tandem Besane, vesane dixerim, Theologe, idémque à caluendo, hoc est decipiendo, Caluinista captiosissime, sperabis sic impunè te hinc abiturum? Nec vereberis ad ea, quibus tu miserrimum istum hominem ad indignissimam cædem impulisti, & scripto palam propositis factam probè defendisti, exempla, Sceuolam aliquem exoriturum: qui quòd ea in integerrimum & innocentissimum Principem à recta & simplici eorum intelligentia, tam crudeliter quàm falsò, detorseris, eadem in te, sed ad illorum veritatem & sententiam accommodatè, retorqueat? & Lemano lacu obrutum eò, quò te tua fata vocant, amandet? Vel ex omnibus vni tibi vita longior, quàm sanguine cruentis & dolosis hominibus scriptura promittit, si prorogetur: quòd ad impietatem non profeceris satis, nec completa sit adhuc tuorum iniquitas Amorrheorum, te ad diem seucrioris iræ Domini reseruari nō cogitabis? Quonam enim illa Iudith atque aliquot aliorum, qui interfectis abs se Tyrānis patriam liberarunt, exempla tua atque sententiæ pertinent: quàm ad eos qui honorum, imperij, potentiæ, obtinendi principatus cupiditate adducti in aliorum agros & fortunas inuadunt? Siquidem ad eos minimè referantur, quorum est propria hæreditas. Non ad eos, qui populi consensu, qui Senatus authoritate, qui magistratuum legiti-

In Bezam.

Argumēta, quibus Beza Poltrotium impulit ad cędē Guysij, ea ipsa contra Bezā & suos faciunt.

legitimorum mandato cohibent eiusmodi sicariorum & latronum conatus, & patriæ saluti vitæ periculo prouident. Ex tribus autem clarissimis Ducibus, quibus ad occurrendum præcipiti audaciæ horribilíque furori vestro prouincia comparandi exercitus singularibus verbis à Rege dẽmandata est, vnus fuit Guysius. Qui post sublatos à vobis duos eius in Triumuiratu collegas: alterum in obsidione Rothomagi sclopo percussum, captum in pugna ad Duram fluuium alterum, vnus ex insidiis armísque vestris ereptus, & in exercitu Regio postea renũciatus imperator, sic vestri furoris impetum compresserat, sic coercuerat temeritatem, proximum vt esset illam simul opprimi. Is igitur quoniã in eo exercitu Regis partes agebat: quia Regnĩ & Ecclesiæ causam tuebatur: Consequens omnino est, vt tu omnésq; tui, cõtra quos ista arma sumpta sunt, hostes fueritis: & licuerit multomagis gallico alicui Sceuolæ tibi cæterísque coniurationis principibus vitam ex insidiis eripere. Porrò autem Regi omníque publico magistratui omnes eiusmodi patriæ pestes ad omnem occasionem virtute, vel isto (quale vet. Iurisconsulti vocabãt & eo contra latrones, insidiatores, multóque magis contra perturbatores vtendum volebant) bono dolo, nil interest, è medio tollere: si semel in potestatem eius venerint, eas omni ratione obruere. Quid commemorem, quum in vno homine salus totius regni sæpius non

Gaſpardus Colignius hoſtis Galliæ declaratus & capite damnatus.

eſſet periclitanda, publicè propoſitum à Rege ampliſſimum præmium ei, qui Gaſpardum Colignium re & verbo iudicatum declaratúmque Galliæ & Eccleſiæ capitalem hoſtem capite diminuiſſet, & auulſum ex humeris attuliſſet? Sed hæc nimis multa cum iſto carnifice Theologo: pręſertim in ea cauſa, quam plures ex his, qui cum illo iiſdem in caſtris erant, & hi inſigniores, quamuis & ipſi hæretici, minimè probarunt. Quin facinus hoc cùm indignum per ſe, tum verò ab ea, quam prætenderét, reſtituenda religionis integritate alieniſſimum cēſuerunt. Quamobrē ex eo factum tempore, vt eo nō ita multum in Gallia miniſtro vſi ſint. Fortè quòd etiā ſibi timuerunt à tam acerbo & crudeli magiſtro: quem ſi quis non audiat, vel ab eius ſchola deficiat, ei ſtatim aut ferro aut veneno ſit pereundum. Tum vt is ad ſuos Geneuiſtas (alius Gehenniſtas) ſe receperit: vnde ſe poſtea nō commouit. Quid verò noſtri in hac imperatoris ſui cæde? Ad primum eius nuntium tantus ſtupor exercitum oppreſſit, vt conſtantiſſimi quique lingua & mente, tanquam amentes & de cœlo tacti, titubarent. Tantus poſtea totam Galliam pauor, quaſi regni mœnia omnia collapſa eſſent, tanta trepidatio luctúſque peruaſit: vt non vnus Guyſius ictus, ſed vnus Eccleſiæ & regni parens, ipſa vniuerſa Gallia cæſa videretur. Haudquaquā ignara quantùm, tanto amiſſo Duce, virium ſibi deceſſiſſet: quanta ſtabilitatis præſidia, quanta

R. Hoſius Lindanus, præcentor Lugdunenſ.

Luctus in Gallia poſt acceptū cædis Guyſij nuntium.

quanta dignitatis ornamenta perdidisset. Proximum erat, vt hoc calamitoso miseróque ciuili bello regnum persunctum, recuperatis omnibus ornamentis, in integrum restitueretur. At accepto hoc tam graui vulnere, etiam illa, quæ obducta videbantur, refricata sunt, quæ sanata, recruduerunt: cœpítque ex eo tempore res Gallica perpetuò fluere, retróque sublapsa referri spes Gallorum. Nam tum, vt aliàs postea sæpè, pacis conditiones, quamuis iniquas à victis postulare coacti sunt. Quibus ex altera parte non ad abolitionem veteris, sed comparationem noui cõstitutis, subinde etiam violatis, noua & peiora prioribus bellorum incendia etiamnunc exarserũt, quæ restingui nisi singulari Dei beneficio nõ possunt. O luctuosam huic patriæ, acerbã Gallis, iis etiam ipsis eius authoribus funestam cædem! At vni tibi, ô clarissime quidem antea Dux, nunc etiam quòd te ad eorum beatas sedes euectum confidimus, qui suo sanguine fidem, pro qua cæsus es, stabilitam nobis tradiderunt, gloriosissime martyr, salutarem: & ad sempiternam immortalium meritorum tuorum memoriam, ad cumulandam superiorum victoriarum gloriam, ad amplissimum inuictæ fortitudinis, hostium verò ignauiæ testimonium, diuino Dei dono tibi allatam mortem! atque hôc tibi salutarem magis, quòd vt martyrij meritum ad præteritorum delictorum delendam pœnam tibi valuerit: hæc tamen ad meditationem

Galliç labores & pericula post cędem Guysij.

Apostrophe ad Guysium.

ingressus in cœlestem patriam, ad recognitionem antè actæ vitæ, ad constituendam cum tuis de tota familia rationem dies aliquot prorogarit: adeò, vt vni tibi in armis mori pulchrum cõtigerit, & domi simul placidè cum tuis. Quid si etiam, vt nonnihil de sententia sit decedendum, nobis salutarem? Nam per Deum immortalem, quis vnquam moriens maiora doctrinæ exempla reliquit? sic loquutus est? sic Reginam matrem ad educationem filij sui Regis & salutem regni tuendam & conseruandam adhortatus? sic vnquam apud coniugem, liberos, seruos de omni officio in Deum & homines ex lecto concionatus? Si quis eius, qui tum in illo loquebatur, spiritus Dei fidem requirat, legat eius extrema, quæ literarum monimentis consignata sunt, verba. Sentiet is, nisi planè ferreus sit, quantas vires ad exprimendas lachrimas, ad mouendos, & illos quidem pios, affectus habeat hominis militaris morientis oratio: adeò multis illa & vehementibus ardet affectibus, admirabili quodam vigore referens hominis animum, qui spretis huius vitæ ornamentis diuina tantùm meditetur, & vitæ beatæ dulcedine quasi perfusus, omni conatu studióque ad patriam cœlestem aspiret. Tantam ergò & tam incredibilem immortalis memoriæ principis virtutem, præsertim in hac funebri coniunctissimi fratris oratione tacitus præteriissem? & tam impiè ingratus essem, vt quem cõiunctę virtutis armorũ & literarũ susceptũ argumen-

Guysij morientis oratio.

argumentum vltro mihi offerebat: dignum, cuius non ſemel in proprio funere laudes celebrentur, ſed identidem in celebri cõuentu Principum & Ducũ, ad illuſtre bellicæ virtutis exemplum, viua claráque voce recitentur, hunc ſilẽtio prætermiſiſſem? Quòd ſi hîc etiam, Auditores, mihi dederitis, vt quę hi duo Lothareni fratres habuerũt à maioribus ſuis exẽpla virtutum, paulò altiùs repetam: & nõnullas Lotharingorum principũ imagines, quas nobis doctiſſimi ſcriptores non ad legendum ſolùm & intuendum, ſed multomagis ad imitandum literarum monimentis expreſſas reliquerunt, vobis exhibeam: dicam Lothareni generis eſſe proprium & peculiare, & ei velut inſigne quoddam honoris à maioribus in poſteros de manu in manum traditum: vt integrá mente Chriſtianam pietatem colat, eius libertatem capitis fortunarúmque periculo vt aſſerat: & quoad eius fuerit, eam vt ab hoſtibus ſuis vindicet. tum Gallis ſocietatis fidem nõ integram modò vt ſeruet, ſed eos ampliſſimis officiis demereatur & ſibi deuinciat. Huius rei plena ſunt Annalium Gallicorũ cõmentaria, pleni aliorum hiſtoricorum libri, plena exemplorum vetuſtas: quæ maximam huic orationi meę fidem faciunt. Gotifredum ſcilicet Bolionium, Balduinum & Euſtachium, fratres Lotharingos, Idumeam penetraſſe: Solimanum Turcarum Principem, cum incredibili exercitu Niceę ex obſidione laboranti, auxilium ferentem, collatis ſignis fugaſſe,

Exẽpla virtutum quæ Carolus & Guyſius à ſuis maioribus habuerunt.

Antiqua Lotharingorũ Principũ in Eccleſiam & Regnũ Gallicũ merita.

Iordanem Ethnicorum ſanguine diluiſſe, & adepta victoria Nicęam potentiſſimam vrbem expugnaſſe: tum vtrâque Antiochiam, alteram Piſidiæ metropolim: alteram, in qua D. Petrus primùm ſedem ſummi Pôtificatus cõſtituiſſet, oppugnaſſe. Ciliciæ nobiliſſimam Tarſum, pluréſque in ipſo ad Hieruſalem itinere munitiſſimas vrbes recepiſſe: Tyrum, Sydonem, Damaſcum, omninóque Hieroſolymã ipſam armorum viribus ſubegiſſe, inſignia media Paleſtina fixiſſe. Ac demum Gotifredum Lotharingorum Ducem, haud dubiè propter eius præ cæteris in hac ampliſſima expeditione Ducibus egregia facinora, in Regem Hieroſolymorum electũ, multas poſtea inſignes victorias ab infidelibus reportaſſe. Hoc mortuo, fratrem Balduinum in regno ſuccedentem, Cæſaream & adiacentes maritimas vrbes imperio Chriſtiano reſtituiſſe: pluréſque ex barbaris pugnarum triumphos retuliſſe. Quæ quum antea ab exteris aut audiebantur, aut legebantur, incredibilia propter rerum bellicarum præſtantiam, & falſò propę memoriæ prodita, videbantur. Nunc verò ad hanc Guyſiorum fratrum recentem memoriam, omnino perſuaſum habent, fuiſſe quondam Lotharingos hac virtutis præſtantia, vt ad illas tam procul à domo prouincias cõſilio & armorum viribus penetrarint. Et ſuis temporibus extitiſſe, qui, vita comite diſſipatíſque hæreticorum factionibus, conſpirãtibus etiam, ſicut quondam, Chriſtianorũ

Gotifredus dux Lotharingus creatur rex Hieroſolymorum.

armis

armis, eodem exercitum in expeditionem fœliciter educere potuissent: indéq; Antichristo fugato, ablatum regnum recuperare. Adeò, vt ista, quæ iam propter vetustatem consenuisse videbantur, nunc renouata, illustriora appareant. Atque vt illa Guysij habuerunt ex Annalium vetustate excitandæ suæ virtutis maiorum exempla clarissima: habuerunt iidẽ & ex recenti memoria auum Renatum Siciliæ regem: qui Carolum Burgundiorum Ducem, tanto antè tempore tam pertinacem perduellionis in Galliæ reum, in obsidione Nancij acerrima pugna fudit & interfecit. Itémque patruum Anthonium Lotharingiæ ducem: cuius singularis virtus, morum mansuetudo & humanitas obtinuit, vt vno omniũ ore etiamnunc bonus Dux Anthonius celebretur. Patrem similiter Claudium clarissimum Ducem à Guysia. Qui duo, primi Principum Christianorum, se pro domo Domini factionibus nostri temporis hæreticorum murum opposuerunt. Primi primas illorum incursiones, primum impetum sustinuerũt & compresserunt temeritatem. Cuius quidem belli meminerunt omnes penè huius temporis rerũ scriptores: sed qui ita, vti gestum est, integrum descripserit: qui propriam eius historiã texuerit, vix vnus, & qui hoc patrio sermone fecerit, reperitur. Quãdo etiam id, ad hanc, quam instituimus, Caroli & Frãcisci cum maiorum in oppugnandis hæreticis animorũ volũtatúmque similitudinẽ propriè pertinet:

Renatus dux Lotharingiæ idéque Rex Siciliæ.

Primũ omnium bellũ quod contra hæreticos nostri temporis gestũ est, ab Anthonio Duce Lotharingo & Claudio duce Guysio susceptum in finibus Germaniæ.

tantò vos æquius est illud me breuiter vel prætermissum ab aliis repetentem, vel, persequentem inchoatum, perferre. Per id igitur tempus, quo nonnullæ in Germania ciuitates Lutheri doctrinam publicè recipere palámque profiteri cœperũt (sicut est natura hæreticæ fraudis, vt ei initiò si non occurratur, nouum aliquod quotidie monstrum alat: si semel simplicium animos occuparit, semper vt proficiat ad impietatem) obortum est anno 1525. in Lutheranismo schisma, duodecim ab illo postulatis, quanquam ex Lutheranę doctrinæ pronuntiatis cõsequentibus, dissentiens: quorum alterum erat, venisse iam demum tempus, quo sublata iniquitate & impiis omnibus iustitia regnaret inter homines: tum ad Euangelij prædicationem omni hominum iugo & seruitute liberatos Christianos, redditam bonorũ omnium cõmunitatem. Quamobrem nulli magistratui posthac esse pendenda tributa: sed impios cùm magistratus tum priuatos omnes interficiendos, & nouum constituendũ regnum, in quo soli pij viuerent: quin huius ergô promouendæ constituendæque libertatis: & principum, qui inter Christianos rerum potirentur, qui dominarentur, opprimendæ tyrannidis causa, vim esse faciendam, & ad arma confugiendum, quando hæc ab illis nec iudiciorum disceptationibus, nec argumentorum conclusionibus posset extorqueri. Hac vectigalium immunitate proposita (qua non est alia blandior ad

Bellum Zabernum cõtra Lutheranos.

2.Timot. 2.

Lutheranorũ schismaticorum doctrina.

ſollicitandum & à legitimo magiſtratu ad ſeditionem abducendum imperitum vulgus illecebra) facilè capti ſunt & inc ſcati miſeri nigræ apud Germanos ſyluæ incolæ, qui ſpe atque animis ad prædam exciti, inde ſe commouerunt, & ex præruptis montibus atque vaſtiſſimis Hercyniis latibulis in vniuerſam propè Germaniam circumfuſi, incredibile quantas & quàm breui tempore vires collegerint: quantùm eorum accreuerit numerus! dum agricola aratro poſito, alius arte, quam exerceret, remota, relicta taberna, ſella, opere, quæſtus quotidiani loco, cubili, otioſo vitæ curſu, huic tumultuanti populo adiungitur, & præceps ad arma proruit. Huc igitur illi atque illuc diſperſi eos motus & turbas, quales in Germania nunquam antea ex omni hominum memoria aut auditæ, aut viſæ à quoquam fuerant, excitarunt. Oppidula nobiliúmque domos & præſidia diripiunt, & ferro atque incendiis deuaſtant, agros populantur, pecus abigunt. Antiquiſſima quæque & ornatiſſima fana, cœnobia, delubra (ne pudicitię quidem virginum parcentes) ſpoliant, expilant, euertunt: eáque tam multa, vt in vna Frãconiæ prouincia ſupra ducenta cùm caſtella, tum templa exuſta recenſeantur. Capta ex vicis & oppidulis præda agrorúmque populationibus aucti, potentiores ciuitates adoriuntur: quarum alias ex improuiſo capiunt, aliis ferrum flammámque à domeſticis, vel externis hoſtibus minitantes, ingentem

Turbę, quas in Germania Lutherani excitarũt.

omnino terrorem incutiunt. Ex nobilibus & Pontificiis quoſcunque comprehenderint, ferro miſerè trucidant: nullus vt magiſtratuum vllo loco ſatis ab hac horribili vulgi furentis incurſione & tempeſtate tutus putaretur. Et proximum erat, niſi properè fuiſſet itum obuiam, vt non Germaniam modò, ſed finitimas quaſque prouincias & regna delerent: poſtquam omnem hominum inter ipſos cùm in Eccleſiaſticis, tum ciuili politia inſtitutum ordinem ſuſtuliſſent. Atque hoc ipſi ad facinus erant audaciores, quòd eo ipſo anno Carolus, huius nominis quintus, imperator, & Franciſcus Galliarum rex ſuas omnes copias bellíque neruos & apparatus ad Papienſe bellum contuliſſent. Quod huius authores ſeditionis in rem ſuam factum Dei ſingulari beneficio facilè credulis ruſticis impoſuerũt: nempe vt illic occupatis duobus orbis Chriſtiani maximis & potentiſſimis Principibus, ipſi negotij periculíque minùs haberent in hac obtinẽda libertate & iuſtitiæ nouo ſtabiliendo regno. Quum autem in eo Ticinenſi bello, cæſis copiis, amiſſo exercitu, victum Gallum captúmque intellexiſſent: inde ſibi ad inuadendam Galliam apertum aditum rati: quòd hæc eſſet orbata rege, perculſa metu, attritis cùm in ipſo bello, tum redemptione Regis opibus, bellicis omnibus deſtituta ſubſidiis, ad quadraginta pugnantium millia ex ſuperiore Germania ad confinia Rheni turmatim deſcendunt. Inde in

Lutherani in Galliam iter intendunt.

Alſa-

Alsatiam, totius Germaniæ feracissimam patriam. Huius ciuitas est potentissima Argentina: quæ iam tum libertatis, in quam se postea asseruit, auida, huic expeditioni, quamuis clanculùm, fauisse dicitur. Proximum erat, vt superato & occupato Vogeso monte, qui Lotharingiam ab Argentinensi agro disterminat, in Lotharingiam penetrarent. Postremùm, inde vt in Galliam irruerent. Est autem ad radicem Vogesi montis versus Germaniam vrbs Taberna, vulgò Zabernia: quæ à Iulio Cæsare vel condita, vel restituta fertur, quinquaginta duabus circum muros firmata turribus. Muro autem, ad interiectum inter duas turres pinnarum septem, in trecenta sexaginta quinque mœnia discriminato: vt scilicet eius sedes esset memoriæ, quòd is annum in totidem hebdomadas & dies distinxisset. Atque hæc eo condita nomine, vt Romanis esset horreum omnis belli apparatus (propter quod ei primùm Taberna nomen fuit) tum & præsidium: vnde Germanos finibus suis continerent, & eos in Gallias excurrere nitentes, transitu montis prohiberent. Id rusticos, quamuis ipso nomine rudes, non latuit tamen: nec tam rerum imperiti fuerunt, quin hoc ad bellum Gallicum sibi interclusum iter, eius expugnatione antè patefaciendum prouiderint. Illuc igitur delectorum militum plura millia præmittunt: qui nudam militari præsidio ciuitatem primo impetu ad deditionem

Zaberniæ vrbis descriptio.

Zabernia à Lutheranis deprehensa & occupata.

facilè compulerunt. Occupatam complent armato milite, commeatu, omníque belli apparatu, cùm ad tolerandam, si contingeret, obsidionem, tum transitum in Lotharingiam necessario : vt cui olim hæc vrbs vsui pro Gallis cōtra Germanos Cæsari fuisset, eidem illis (commutata sorte) pro Germanis contra Gallos foret : nimirum horreum, vnde sibi ad hanc expeditionem omnia suppeterent. Eodem tempore id consilij ineunt, vt illuc infra decimum quintum, ab vrbe capta, diem, vniuerso coacto exercitu, Vogesum montem antè transeant, quàm Lotharingus de profectione audiat, vel copias ad resistendum comparet. Annus tum agebatur 1525. mensis verò Maij decimus ille quintus sustinebatur : quo in Lotharingiá erat decreta incursio. Hęc vt ad Anthoniũ Lotharingũ delata sunt, ex re nata atque ex tempore (quādo periculũ esset in mora) consiliũ capiendũ ratus, statuit decretũ Vogesi transitus diē occupandũ, & ad Zaberniá hostibus, antequam cogerētur, anteuertendum. Ad illam verò maximorum atque potentissimorum duorum Regum dimicationem Papiensem tum erant intenti reliqui penè omnes Principes Christiani. Et in commissa pugna omnes ex altera parte vel desiderati, vel fugati : ab altera nondum recollectæ copiæ : & longiùs, quàm ad horá venissent, aberant : nulla prorsus vt Lotharingo ab istis cuiusquam auxilij consequendi spes esset. Non diffidit tamen, sed vnicum habens huius

belli

belli authorem Christum, eo duce & auspice sperauit se ab hoste ignobili & impio vim facilè depulsurum. Quamobrem mittit ad nobiles quosque suæ ditionis viros, qui nuntient, vt omni cunctatione abiecta, equis & armis instructi ad se veniant. Præfectos peditũ designat, qui ex Lotharenis àd quinque millia delectum faciant, & æneas machinas, testudines, omnémque belli ad vrbis oppugnationem apparatum per angusta & prærupta mõtis antè deducant: ipse breui cum equestribus turmis sequuturus. Ea de re admoniti fratres, Ioannes Cardinalis, Claudius Dux à Guysia, & Ludouicus Comes Vademontanus, cum omni nobilium suorum expedito comitatu adfuerunt. Quintus frater, Franciscus Comes Lambesquius & Orgonius, non ita multò antè in pugna Ticinensi, Gallorum partes sequutus, cæsus fuerat. Eodem Antonij centum cataphracti expediti equites, totidémque Claudij conuenere. In ipso porro ad obsidionem itinere auxiliares nonnullas cohortes accipit à patruo Carolo Duce Sicambro. huc etiam ducenti & mille Itali sclopetarij fortè fortuna superuenere: vt ad summum peditatus septem Loricatorum millibus constaret: Equitatus verò leuis armaturæ trecentis Equitibus, Cataphractûm tribus millibus. Exiguus sanè & longè impar exercitus: quippe cum decuplo maiore, si vniuersi cogendi spatium datum fuisset, congressurus. At quò erat numero inferior, rei verò

Exercitus Lotharingus.

Ducis Guysij frater Gallorũ partes sequutus in Papiensi bello occisus.

militaris exercendæ peritia superior: eò maturiùs Vogesi montis viarum angustias & præcipitia prætervectus (quanquam ægrè transmissis machinis bellicis) hostium concursum ad vrbem præuertit. Ea tanta militum vsus celeritate, vt cùm hostes illum vixdum quicquam de hoc bello audiuisse cogitant, tum in eorũ finibus cum exercitu apparuerit. Ergo æquore campi Montismartyris tandem potitus, & quantùm ab hostium ex vrbe pilis æneis tuti essent & illæsi milites, procul castra metatus, per Vademontium caduceatorem & socium tubicinem, ex veteri bellorum indicendorum, priusquam suscipiantur, instituto denũtiat Erasmo Gerbero à Molsen præfecto, sibi vt vrbem, séque & suos omnes infra 24 horarum curriculum dedat. Sin fuerit, vt nolit, neminẽ eorum vt in fidẽ suam sit recepturus: sed postquam eos armorum viribus ad deditionem subegerit, vt temeritatis, vt violatæ religionis, legũ cùm diuinarum, tum humanarum, meritas debitásque pœnas sit ab vniuersis repetiturus. At illi classicum audire nõ modò non sustinent, sed sanctissimo fœcialium legatorum violato iure, emittunt in illos tormentorum (quibus plurimis abundant) & glandium plombearum magnã vim: quarum altera cæsum tubicinem obterunt. Quo facto didicit Lotharingus, quibuscũ sibi res esset, quáque cum illis fide bellum gerendum. Hôc igitur ille ampliùs hostibus infestus, inde fossas in vrbem ducere, machinas ad

Lotharingus Zaberniam & Lutheranos obsidet.

muros

muros appellere, & portis ſuccedere molitur. Ecce autem poſtridie quàm omnem ad oppugnationem apparatum compoſuiſſet, & ſic obſediſſet vrbem, vt ne vnus exiiſſet impunè: nuntiatur totius exercitus hoſtium robur, reliquas omnes copias, quæ cis tránſque Rhenum eſſent, magnis itineribus ad vrbis ſubſidium aduentare: atque iam eorum primam aciem non ampliùs, quàm vnius itinere diei, abeſſe. Quando igitur hic in vna rerum perficiendarum celeritate omnia huius belli conſilia defixerat: pro arcendis cohortibus properè mittit obuiam cum expeditis militibus fratres Ducem à Guyſia & Vademontanum: ipſe interim vrbem cum reliquis copiis oppugnaturus. Quatuor hinc illi modò progreſſi milliaribus ad vicum, cui nomen Lupeſtin, occurrunt hoſtibus: qui ſtatim vico eductis & ad pugnam inſtructis cohortibus, primi impetum faciunt. Quem Lotharení excipiunt tanto acriùs & cautiùs, quàm in hoc primo pugnæ aditu (qui cùm in omnibus, tum verò maximè in ignobili & præcipiti vulgo ſolet eſſe concitatior) ſpem obtinendæ victoriæ collocauerant. Vtrinque dum acerrimè dimicatur, & miſcentur promiſcuè certamina: fit vt ancipiti marte aliquandiu pugnatum ſit. Sed inclinata tandem Lutheranorum acies, retro pedetentim cedens in vicum ſe recipit: quem ad omnem euentum pugnæ, & præſidium fortunarum plauſtris, cratibus, palis, doliis vinariis antè firmauerant. Tum

Prima pugna in qua Claudius dux Guyſius fudit Lutheranos.

Vademontanus præfectus peditum ſucceſſu pugnæ erectior, acriùs inſtare & perſequi. Illi cõtrà æquiore loco pugnantes animos colligere, & eum ſeptis atque ingreſſu confidentiùs arcere. Vbi de integro priore periculoſius inſtauratur & accenditur præliũ. Vademontanus tandem ſummis ad haſtam adnixus viribus, ſaltu ſuperat acceſſus impedimenta: & ingreſſus vicum tandiu pugnam ſuſtinet, quoad Guyſius (qui ſibi equitatum ſumpſerat) ſuperatis circum vicum compluribus cùm foſſis, tum ſepibus virentibus, dumetis atque vepribus intextis, omnino opportunè, velut Deus aliquis ex improuiſo apparens, fratri adfuit: qui tertiùm iam quartúmue inter cæſos proſtratus iacebat. Sed ne tunc etiam eorum cõiunctæ vires prophanum vulgus loco depellere potuerunt: quippe ad anguſtias viarum fortiſſimi quique collocati, alij parietum præſidio tecti, Lotharingos mirum in modum fatigabant: nec inde ſine magna inuadentium clade fugari poterant. Itaque retrò pedem extra ſepta referre coacti, facto demum incendio, variè extra caſtra fugientes obtruncant. Alij ex templo furioſa temeritate & pertinacia dimicantes, ad aciem ferri morte occumbere, quàm in fidem clementiſſimi victoris venire maluerunt. Ex Lutheranis ad ſeptem millia in eo prælio cęſa dicuntur. Lotharingus interea obſeſſos eò iam impulerat, vt deditionem pararent: quam audita ſociorum, qui ſubſidio veniebãt, ſtrage, & aucta ex reditu

victorum

victorum obsidione, fecerunt solenni adhibito ritu: & conceptis verbis pacti, vt abiurato Lutheranismo & positis armis, incolumes cum supellectile, quam asportare possent, exirent vrbe. Centum porro Lotharingo darent obsides: quoad ipsi ad suos, sine irrogata cuiquam magistratui, castróue, aut templo iniuria, remeassent. Factis transactis omnibus, Lotharingus, postridie recepturus vrbem, instruit, vt fit, exercitum velut in aciem eum educturus. Sed exeuntibus ex vrbe primis copiis, accidit, vt ab equite velitari interceptus sit speculator, qui ab Erasmo præfecto ad socios, vt armorum copia instructi cõtinuatis nocte diéque itineribus venire properarẽt, literas habebat. Nam se positis armis deditionem fecisse: sed eo consilio, vt postea coniuncti pugnantium multitudine Lotharingos, quos numero lõgè inferiores sciebant, vno prælio obruerent. Horum perfidiam admirati Principes, dum cõsultant, císne fidem fallentibus fallere quoque ipsi debeant, aliud interuenit, quod consilij sententiam anteuertit. Nam eodem tempore facetus quidam Gelrhenensis miles, conspicatus inter ordines exeuntium capitalem, & præ cæteris corporis magnitudine conspicuum Lutheranum, vrbanè sine magno aculeo illũ compellans: heus, inquit, bellè liberatus es. Alter verò tam religionis professione inhumanus, quàm natura & vitæ conditione agrẽstis, duriùs facetè dictum accipiẽs, hoc atroci iniuria reiecit in authorẽ:

Lutherani de deditione paciscuntur.

Fraus Lutheranorum detecta.

Casus, cuius interuentu Zabernia expugnatur & cæduntur Lutherani.

& ſimul iterum ac ſæpius Lutherum acclamat. In quibus verbis interfectus ab altero, author eſt ſociis, idem vt carmen occinant: primíque per ordines poſterioribus, vt in vrbem, vt ad arma citato pede recurrant, proclament. His prouocati Gelrhenenſes, facto impetu paſſim, quos comprehenderint, ſternunt: occupant ſuburbia, & hoſtibus permixti atque ad portã irrumpẽtes magna vi ab occurrẽtibus ex vrbe, qui iam ad arma redierãt, prohibẽtur. Hîc acris accenſus conflictus, in quo permulti vtrinque cæſi: vt aliis atque aliis in cęſorũ loca ſummiſſis ex vrbe, res tandem noſtris eſſet malè ſucceſſura, niſi ſubſidio Lotharenæ cohortes properè adfuiſſent: quarum aduentu inſtauratur oppugnatio: & collato, quaſi vir viro congreſſus, pede diu decertatum. Fracti demum ac debilitati Lutherani in vrbem ſe recipiunt: & irruentibus ad portam ingreſſum prohibituri, laxant dentatam ferream cratem: quæ medio cauiculato meatu inſiſtens, noſtris aditum in vrbem reliquit. Necdum ipſi ſe dedunt: ſed in foro, in plateis pugnantes paſſim cæduntur: quoad Eraſmus territus ſuorum ſtrage proripit ſe in caſtrum: vnde nec ita multò pòſt captiuus abductus eſt cum altero eiuſdem factionis primario duce. hi ambo literarum ſcripturam agnoſcentes, & confeſſo violatæ fidei crimine, in infœlici, quæ prima tum occurrit, arbore ſuſpenſi, ſcelerum pœnas luerunt. Ex vrbe interim oppidani pleni luctus, ſqualo-

Expugnatur Zabernia.

ſqualoris & pulueris certatim exeunt, victoribus, ad pedes proſtrati, ſupplicantes: quando Lutheranæ factionis & vrbis occupandæ conſcij non fuiſſent, ſi non bonis ſuis à direptione, at vt vitæ à cædibus, vt vrbi ab incendiis parceretur. In quo à Principibus eſt valde elaboratum. Neque tamen furentis militis atrocitas, nec eiuſdem amore prædæ atque ſpoliorum ardentis animi cupiditas contineri potuit: quin vel cæſi, vel capti ſint, quotquot reperti, vrbe ad tertiam partem exuſta. Cæſos in ea oppugnatione ad quindecim millia: captiuos ad ſex itidem millia ferunt. Eodem etiam ipſo menſe cum aliis iiſdem de cauſis tertiò & poſtremò dimicatum. Nam quum Anthonius & Iohannes Marchiani fratres Lotharingo ſubſidio veniſſent, cum expedito & forti cataphractorũ equitatu, qui Roberto Marchio Cedano patri à Rege attributus erat: ſtatuit Lotharingus longiùs in Argentoratenſem agrum obuiam aliis Lutheranorum aduentantibus copiis proficiſci, & hoc bellum ſemel opprimere: ne reuerſus, ſi non extinctum omnino, ſed inflammatum ſolùm relinqueret, quum ſe ab iſtis tutum in otio quietè & placatè viuere poſſe putaret, tum maximè nouum eſſet ſibi deintegro, & quantũ vnquam antea, ſuſcipiendum. Ad eas igitur Heluetiorum & Germanorũ cuiuſque generis cohortes, exercitum transfert: quas à partibus tranſrhenanis ad Chenouillam vicum, non procul à Seleſtadio, concurriſſe

Tertia pugna contra Lutheranos.

Marchiani fratres Cedani cũ auxiliari equitatu Lotharenis ſubſidio veniunt.

in itinere nuntiatum erat: eásque tantò plures, quòd quas Germani quidem Principes ad se tuendos armassent, illæ ipsæ ad Lutheranos quotidie deficerent. Quod malè cessit Comiti Haguegnoto: quem eo tempore propriæ copiæ lapidibus & ferro de fundo præcipitem egerant. Ab illis tandem quum vnius modò itinere diei abesset, intempesta nocte exercitum educit, eò præmissis præfectis castrorum, leuis armaturæ equitibus, mansionariísque designatoribus. Qui retulerunt maximam vim rusticorum illic se commouere: pagum erectis munitionibus, asseribus, trabibus vallare. vallem esse proximũ inter vicum & vineta interiectum, ex vna parte mõtibus, ex altera paludibus, vtrinq; aquis & sepibus circundatum: ipsum per se situ & loci natura munitum. Atque hunc illos ex omni aditu fossis, vallis, tormentis, cùm maiusculis non paucis, tum breuiusculis quamplurimis præcludere. Quibus intellectis, tum ille exercitum suum lustrat: copias, quæ longioris itineris labore & æstu fatigatæ cursu consequi non potuerant, expectat. Dum veniunt, tentat Guysius, quid hostes consilij capiant, quídue moliantur. Agnoscit illos relicto vico certis ordinibus in istum vallem æquúmque campum exisse. Illum omnem expassibus cohortibus tenere. Sed ad velitarem pugnam coactos, in tres acies exercitum instruxisse. Ad summam, prælij vel sustinendi, vel committendi potestatem facere. Iam inclinato ad

sextam

ſextam ſole, nox appetebat. Stat tamen non procraſtinandum: ſed dum calet, pugnandum. Quamobrem Guyſius, impetu facto, primùm in Chenouillam irrumpit. Oppugnatam incendit, & ad ſarcinas atque impedimenta relictos omnes ferro conficit. Inde ad caſtra deſcendit: vbi prima impreſſione eius milites ad magnam vim tormentorum, quibus erant anguſta viarum communita, nonnihil commoti. Sed ſtatim compertum, ruſticos in ipſo portu inſigniter peccaſſe. Nam quòd altioribus machinis & axibus eſſent eorum impoſita tormenta, vel altiùs ore collimato diſploderentur: militibus intactis æнei globi per ſumma Guyſiorum capita volabant. Dux Lotharingus, quẽ hinc Gelrhenenſes, hinc torméta æquis paſſibus & frontibus æquabant, aliquantò pòſt ſua iubet emitti. Sed poſt ſecundam miſſionem ceſſandum fuit: quòd ea in hoſtes emitti, niſi in ſuos ſimul emitterentur, non poſſent. Nam Guyſius, direptis tormentis & cæſis eorum cuſtodibus, iam tum aditus pericula præteruectus cum hoſte collatis ſignis confligebat. Iam cum hoſte permixtus Vademontanus manus conſerebat, & pedeſtre certamen tum variè miſcebat, tum ſuſtinebat animoſè. Is quũ tanquam fluctu, ſic multitudine hoſtiũ nonnunquam obrueretur: Guyſius in omnem belli aleam & impreſſionis faciendę occaſionem intentus, quarta demum irruptione primum hoc hoſtium cornu profligat. Cui

Guyſius pugnam committit.

ſummiſſo altero redintegratum eſt prælium, tantò durius & acrius, quòd vtrinque continenter torquentibus ſclopetariis, ferrei globi, velut crepitans ſalit grando, ſic per aëra ſtridentes, & aduerſis paludamentis cum horrido crebróque ſonitu in terram reflexi, aream campi, præ numero propemodum operibant. Italus emiſſo ſemel ſclopo, ad terram poſtea proſtratus ſclopum glande & tormentario puluere rurſus infarciebat. Itidem Gelrhenenſis, ſed ad genua tantùm prouolutus. Hoſtes autem quia recti & diſplodebant & adimplebant, eò plures illorum agebãtur reſupini & ruebant. Summiſſis tamen recentibus, ſuos ordines ſtatúmque præfractè tuebantur, quoad immiſſi Marchiani fratres eos variè perturbarunt: quibus ſenſim inclinantibus ordinéſque laxare incipiẽtibus, accurrit cum toto exercitus robore Lotharingus. nulla hîc ex fuga pediti ſalutis ſpes erat. Quamobrem omnibus adnixi viribus, impetum tanto conatu ſuſtinent, ſubinde vt ſuperiores, ſubindéque vt inferiores putarentur: & exorto clamore militum, alius hinc Lotharingiam, alius inde Lutherum, vtrique vna voce victoriam acclamarent: fatigatos & totius exercitus oppreſſos pondere dum videt agmen poſtremum, huc ſubſidio properat. Sed dum hoc intercluſum concidi cernit, & inde milites ad ſe etiam obſidendum circumduci, retrò circum montis decliuum in proximam ſyluã fuga ſeſe proripit: quod ſequuti equites, nonnul-

Huius pugnæ dubius & anceps exitus.

nonnullos ſternunt. Sed locorum aſperitas eos cohibuit, & nox atra prælium diremit. Lotharingus potitus campo, pro conſuetudine victorum, caſtris ſe non commouet, ſed in eis noctem paludatus inſomnem ducit. Periculum erat, ne fugatum hoc poſtremum agmen, iunctum tribus cohortibus, quæ ſubſidio ad pugnam venientes ſemi itinere diei tantùm aberāt, poſtridie ex ſyluis erumperet ad inſtaurandum prælium. Sed certiſſimis authoribus accepit, tot iam amiſſis præliis animo conſternatos & pauidos, vnum poſt alterum laxatis ordinibus, trans Rhenum ad ſuos magnis paſſibus remeare. In oppugnatione Chenouillæ cæſorum ad quinque millia, in caſtris ad duodecim itidē millia numerum tranſferunt. Hoc ſic in Alſatia eodē, quo excitatum fuerat, menſe profligatum eſt bellum: nullo vt deinceps tēpore eo loco ſit renouatum. Cuius reliquias quum ſuperioris Germaniæ Principes recepiſſent, tanto in eis opprimendis laboris periculíque minùs ſuſceperunt, quòd eius iam primi maiores impetus armorum repreſſi eſſent, reſtinctus ardor, & attritæ vires. Porrò autem ſupra centena ruſticorum millia ſcribunt in hoc toto bello cecidiſſe. Fuit hoc bellum omnium, quæ contra noſtræ tempeſtatis hæreticos geſta ſunt, primum. Nam quod à Carolo Cæſare cōtra Lutheranos in Germania: quod eius poſtea filius Philippus rex Hiſpaniarum cōtra Caluiniſtas in Flādria: & Galliæ reges contra eoſdē

Victoria penes Lotharingum.

Zaberni belli exitus.

etiamnunc ducunt, ea posterius suscepta. Primus igitur qui gladium strinxit, qui primam ab illis victoriam reportauit, fuit Lotharingus, ísque maximè Claudius Guysius, qui moriens sex filios, plus vno quàm Mathathias, reliquit. Hunc Franciscum natu maiorem, qui impurissimi Poltroti scelerata manu, ex insidiis, indignissimè cæsus interiit. Hunc Carolum Lotharingum Cardinalem: cui hodierno die iusta funebria facimus. Claudium Ducem Almalæum, singularis continentiæ atque integritatis commendatione insignem, acrem in bello atque vehementem: qui in obsidione Rupellana, misso ex vrbe tormenti maioris sclopo, percussus, maximo bonorum omnium luctu occidit. Huius & Francisci Guysij fratris consuetudinis fuit, vitæ maculas & sordes adhibito conscientiæ expiatore Deo & sacerdote ministro antè eluere, sacrosancto Dominici corporis sumpto libamine cor animúmque contra Sathanam & externos hostes antè confirmare, quàm ad bellum proficiscerentur. Quibus armis communiti, dicere solebant, se ad omnia belli subeunda pericula longè audaciores. Quod Almalæo cessit fœliciter. Nam dum machinam in vrbis propugnaculum collimat, ex vrbe contrà displosa machina & aggerem, quo tectus erat, perrumpente, simul ipse protritus est & exanimatus ex tempore. Quartum porro Ludouicum Cardinalem Guysiũ, antea quidẽ propter Caroli splendorẽ non ita spectatum

Claudij Guysij liberi sex.

Franciscus postea Dux Guysiæ.

Carolus Lotharingus Cardinalis.

Claudius Dux Almalæus.

Dux Almalæus in obsidione Rupellana cæsus.

Guysiorum consuetudo in adhibendo pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramẽto, priusquã ad bellum irent.

Ludouicus Card. à Guysia.

ctatum: nunc per se clarum, & rerũ, quas ille inchoatas reliquit, perficiendarũ studio & solicitudine in laudũ fratris societatẽ asciscendũ. Franciscũ Melitensiũ Equitũ in Gallia maximũ Priorem, corporis magnitudine etiã supra cæteros admirabilẽ. Renatũ deniq; Marchionẽ Elbusium, minimũ natu, propter summã humanitatẽ & affabilitatẽ omnibus gratissimũ. Sex illi fratres erant, ætate & gratia apud omnes eodẽ tẽpore florentissimi, charitate singulari, & fraterna concordia coniunctissimi. Habebant Franciscũ, vt erat verè, militiæ principem: Carolũ verò vt patrem, & suorum omnium consiliorum authorem colebãt. Vnà quum essent in Regia, quatuor manè salutatum ad Carolum veniebant. Inde ad Franciscum quinque. Sex demum eodem itinere ad Regẽ: qui clientum suorum comitatu stipati quum procederent, quum ad eum ingrederẽtur, magno omnino splendore Regiam totam illustrabant: magno Regem ipsum afficiebant gaudio, reputantem se sex seruos habere Principes, vt corporis formæque dignitate, sic animi robore atque magnitudine præstantissimos, erga se porro fide & obseruantia integerrimos: ex quibus alter esset sui regni togatorum, alter armatorum primus: alter summo pontificatu, alter imperio dignissimus. Hôc illa Guysiorum fraternitas & familia illustrior, quòd literis & armis eodem tẽpore claruit. Atque hi eodem, quo quinque Mathathiæ liberi, spiritu feruentes, & auitæ virtutis

Franciscus Melitensiũ Equitũ maximus Prior.

Renatus Marchio Elbusius.

Horum sex fratrũ mutuus amor.

Sex Guysij fratres in Regia.

æmuli, pari voluntate & studio laterum suorum & corporum oppositus, vitã ipsam Deo & Regi contrà hæreticos perduelles quum consecrassent: accidit eodem propè exemplo, quo Fabij fratres, vt iisdem bellorũ tẽporibus omnes, excepto Ludouico, occubuerint: & sanctissima fratrum Guysiorum ad Ecclesiæ regníque defensionem conspiratio, quam nullam antea vim externam frangere posse credidisses, ad vnum modò sit redacta. Vbi quid potiùs admirer, nescio. An huius ciuilis belli, quod Sathanæ filia, religionis autem catholicæ pellex accendit, atrocitatem: quæ non hos solùm, sed ex illustribus in Gallia quibusque familiis nobilissimos & fortissimos quosque sustulit: Galliámque amissis omnibus pristinæ suæ dignitatis ornamẽtis, ereptis stabilitatis suæ præsidiis, fractam atque afflictam prædæ reliquit. An verò rapidam vltricis iræ Dei flammam: quæ potissimùm eos, quorum salute salus Regni & Ecclesiæ continebatur, eodem propè tempore nobis ademit. Sed hactenus ex multis pauca, quæ Franciscus à maioribus suis habuit ad imitandum militaris virtutis exempla clarissima. Carolo in re literaria tam multa fuisse, non ausim æquè polliceri. Hôc ille tanto illustrior, quòd non in propria nec vlla in alia post hominum memoriã principum familia quisquam reperiatur, qui maius ei, quàm ipse suis exẽplum doctrinæ reliquerit, qui in dicendi facultate ei præluxerit. Neque tamen defuerunt

Horum fratrũ 5. mortui, his ciuilium bellorum temporibus.

T. Liuius Decad. 1. lib. 2.

Esa. 5.

Armorum exẽpla plura Guysius habuit à maiorib' quàm Carolus literarum.

fuerunt in hoc Lotharingo genere Cardinales & Epiſcopi: qui cùm ſui temporis, etiam illuſtrioribus, ingenij laude & literaturæ gloria contẽdiſſent. Quorum ex numero fuit Fridericus Lotharingus, idémque Stephanus Pontifex maximus, eius nominis nonus: quem hiſtoriarum monimentis celebrata religionis integritas & excellens prudentia (haud dubium, quin etiam humanarum & diuinarum literarum ſtudia) gradatim per medios honores ad ſummum Pontificatum extulerunt. ſed tamen eiuſmodi ſtudia, vt ad Caroli literarum & eloquentiæ laudem non peruenerint. Hôc etiam ille fratribus ſuperior, quòd eius ingenij fama longè latéque per vniuerſum orbem peruagata, Lotharingorum nomen ad immortalitatẽ memoriæ propagauit, eò quò nunquam illorũ arma penetrarunt. Sed quum in commemorandis priſcorum & recentium huius familiæ principum virtutibus libenter verſatur oratio mea: tum eorum generoſiſſimi Nepotes (quibus hæc domus, velut Seminarium, pluribus, iiſque ad ſummam literarum & armorũ expectationem floreſcẽtibus, abundat) hæc exempla, ſicut facere probè inſtituunt, imitari porro vt pergant, vehementer ſtudeo. Quamobrem ſi vlla eſt oratori propter ſuſcepti muneris prouinciam honeſta ratio, meum ad vos ſermonem cõuertendi, O Sereniſſimi Principes Nepotes, liceat mihi iiſdem verbis affari vos, quibus propheta veros Iſraëlitas in ſimili Principũ ſuorum

Fridericus Lotharingus Papa.

Apoſtrophe parænetica ad ſereniſſimos Principes Lotharingos.

Esa.51.a. cæde & strage. Attendite ad petram, vnde excisi estis: Attendite ad cauernam laci, vnde præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Sarã quæ peperit vos: quia vnũ vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. Cõsolabitur ergo Dominus vos, & reparabit ruinas vestras: & ponet desertũ vestrum, quasi hortum Domini. Sic vos inuicẽ in hac vestri conseruandi generis Domini promissione cõsolemini: & memineritis magnã omnino vobis esse consolationem, maiorũ vestrorum rectę voluntatis conscientiã: amplissimæ vestræ domus integritatẽ, quam nulla, ne inimicorum quidem, vllius defectionis & perfidiæ conuincere possit inuidia. Proponite vobis ob oculos, nullum eorum, qui vos antecesserunt, non nostra dicam modò, sed omnis antè actæ vitæ memoria, inuentum esse, qui ab integritate fidei catholicæ ad hæreticos defecerit: nullum, qui à Gallo ad perduelles, aut vllos alios Galliæ designatos hostes declinarit. Et quoniam vt nominis, sic huius virtutis hæreditas & glorię imitatio ad vos propriè pertinet: Macti noua virtute estote, & prouidete, vt sicut maioribus vestris pulchrum fuit tantam vobis gloriam relinquere: sic vobis gloriosum sit eam retinere: sic vobis prædicabile id, quod ab eis accepistis, bonorum omnium amorem & gratiam, singulare totius Galliæ studium & fauorẽ, infinitos generi vestro deuotos, & eorum beneficiis ornatos clientes, pari virtute tueri & con-

conseruare

ſeruare. Nam hæc tam præclara & domeſtica exẽpla quantum vobis adiumenti ſplendoríſque afferent ad nominis celebritatem, ſi ea, vt par eſt, imitati fueritis: tantùm vobis addent momenti & obſcuritatis ad infamiam, ſi deſerueritis. Atque hæc fuerunt, Auditores, Franciſci induſtriæ militaris curricula, hic exitus vitæ: Quis Caroli fuerit, deinceps dicamus. Receptis multo maiore ex parte, quæ tum ab hæreticis interceptæ fuerant, vrbibus: ad Concilium Tridentinum tandem, expectatus diu multúmque, Carolus venit cum literis à Rege ad Patres: vti offenſi propter dimiſſionis ad eos Caroli tarditatem placarentur. Carolus ipſe, ſicut etiam à Rege mandatum habebat, huius tardioris profectionis rationem coram patribus breui illa quidem, ſed eleganti oratione reddidit. Illic verò dum de ſacris diſputat, & cum patribus de iis conſtituit, obſidetur Lutetia, primæ pugnæ cõmittẽdæ neceſſitas imponitur: & Franciſcus frater per inſidias cæditur. Cuius mortem rumor ex ſermone priùs, quàm ex Gallia nuntius eò pertulit. Tantus ad externas nationes omnes ex hac principis indigna cæde luctus peruenit. Deliguntur ex patribus primarij & idonei viri, qui, qua minore fieri poſſet animi offenſione, hoc moleſtiæ nuntium Carolo tandem aperirent: & dolorem, quem inde concepiſſet, lenirent. Erat ille ad res quàm longiſſimè in poſterum prouidendas animo acuto & perſpicaci. Hôc ideo futura, quæ

Quale fuerit Caroli vitæ curriculum poſt occiſum fratrẽ Guyſium: tum quis eius exitus.

Carolus in Cõcilio Tridentino.

Carolo fratris Guyſij cædes nuntiatur.

inde impendebant & poſtea contigerunt, Eccleſiæ Gallicanæ Regníque incommoda anticipata cogitatione proſpiciens, mortem fratris grauiùs tulit. Acquieuit tamẽ cùm ipſe per ſe pro ſapiẽtia, & animi, qua præditus erat, magnitudine: tum in ſuauitate conſolationis patrum. Dum igitur ſtaret regnum, idémque conſiliis & legibus vigeret: dum Regi ſua eſſet maieſtas, dũ Principibus & de regno benemeritis viris pro repub. ſuſceptorum periculorum fructus & debitus honos conſtaret: dum Petri nauicula tranquillo mari curſum ſuum optimè cõficeret, ſtetit Carolus regno incolumis, conſilio atque authoritate cum incredibili omnium gratulatione & admiratione in ſenatoriis ſententiis, atque in omni actione adminiſtrationéque Reipub. floruit. Et ſummis illis virtutum, honoris & fortunæ ornamẽtis præditus, res magnas & dignitatis plenas quum gereret: tamen in Regia cum æqualibus Principibus, cum ſummis, infimis, mediis in Repub. hominum ordinibus ſic verſatus eſt, nullas vt ſuſceperit, niſi obſcuras, ſimultates: quales inter eos, qui regias ſequuntur, communiter incidunt: priuatas nullas, quæ in apertum erumperent, quæ caput peterent ſuum. Quo nomine ſuas ego illum aliquãdo fortunas prædicantem audiuiſſe me probè memini. Tanta tum erat Principum inter ipſos, tanta Gallorum omnium in vnam regni ſalutem cõſpirans voluntas: quæ moderatum atque concordem reipub. ſtatum

Eccleſia ſtãte & florẽte in Gallia ſtetit & floruit Carolus. quo eius Symbolum pertinebat, Te ſtante virebo.

Galliæ tranquillitas & Principum inter ipſos cõcordia ante aduẽtum hæreticorũ.

ſtatum omni charitate & beneuolentia complecteretur & contineret. At ex quo dira illa, & regno nimiùm funeſta flagitiorum omnium parens hæreſis certorum hominum mentes ſuis erroribus imbuit: indéque quum crudelis atque horrida ciuilium bellorum tuba intonuiſſet. Quum regni concordia ſimul cum diuulſa Eccleſię pace & vnitate eſſet diſſoluta: quum leges in regno nil valerent, iudicia iacerent: quum ſe Gallorum quondam in Principem ſuum, præ cæteris populis, præcipuus & ſingularis amor, contra pupillum regem armaſſet. Quum armis circumſeptus Senatus Pariſienſis omnia timeret: ab eóque ſic oppreſſo frigidum illud nimiùm menſe Ianuario extortum Edictum exiiſſet (quanquam conſtans fuit illius fides & ſententia, ſe hæreticorum religionem nec poſſe, nec debere, nec etiã velle approbare) quum eſſet in Gallia ea rerum confuſio, ea temporum perturbatio: vt de ſacerdotio populus cum ſacerdote, Princeps cum Rege de regia dignitate, cum Principe nobilis, cum nobili ciuis, de omni officio certaret. Quum ſacerdotes proſcriberentur, templa incẽdiis conflagrarent, Diuorum cineres in aërem ſpargerentur: &, quorum extarent, oſſa cremarentur. Denique is quum eſſet Galliæ caſus, vt priſtinæ ſuæ dignitatis veſtigium vix vllum, nullam antiquitatis imaginẽ, nullum veteris regni exemplum retineret: quum occidiſſet, vno verbo: quiſnam in tanta tam multarum calamitatũ

Edictũ Ianuarium.

tempestate eo, quo antea, in regno loco fuisset? cum, quem virtute consequutus fuisset, ordinem tenuisset? in regno, in quo nō sit, qui fuisset, viuere voluisset? Huius lucis vsurā, in qua cum omni mœrore, luctu & lachrimis retineretur, sibi non potiùs ereptā expetisset? Atque hôc illa Carolo nostro grauiora, quòd istorum temporū mala penè omnia, imbres, nymbi, turbines, procellæ, fluctus in eum potissimùm deuoluerētur, eorúmque molē vniuersam vnus propè sustineret. Nam præter cōmune hæreticorū in bonos omnes odiū, singulare quoddā fuit in Carolū & Franciscū, hoc nescio quo fato natos, vt nemo tum Ecclesiæ & regni hostis esset, qui nō idē illorum se esse inimicum profiteretur: qui, quod in Rempub. & bonos omnes odium concepisset, non id in eos potissimùm deflecteret. Vrebat scilicet eos miserè duorum fratrum parta virtute gloria & nominis celebritas: quáque apud omnes plurimùm valebant, gratia & authoritas. Nouerant Carolum ad suspicandum sagacissimum: Guysium fratrem itidem ad vindicandum fortissimum. Illum ad patefacienda & illustrandā sua omnia consilia perspicacissimū atque vigilantissimum: nil agere se, nil tentare, propè nil cogitare, quod ipse non audiret, non videret, non sentiret. hunc itidem ad ea occupanda & confringēda valentissimum & exercitatissimum. Illius consilia, huius arma formidabant. Alterius vocem (vt neque lupi latratum pecuarij canis)

Carolus cū afflicta Gallia simul afflictus.

Singulare hæreticorū in Carolum & Guysium fratrē odiū.

Odij in Carol. & Guysium causæ.

canis) ferre minimè poterant. Alterius exercitatum dentem in lacerandis apris, qui regni vbertatē depaſcerent, & Eccleſiæ vineam demolirentur, extimeſcebant. Ambos intelligebant nominatim ſuis oppoſitos conatibus: non alios magis, ne conſilia ſua promouerent, ne quod vellent conſequerentur impedire. Iis verò è medio ſublatis fore, vt latè rerum in Gallia potirentur: ſimúlque cum nouæ religionis inſtitutione, nouum quoque & ſuis inſtitutis conueniens regnum ſtabilirent. Hinc illis alia atque alia ſubinde, noua ſemper, crimina effingere affigeréque contumelioſa programmata, vt Athanaſio quondam Ariani. Hinc illorum apud Regem gratiam, illorum apud bonos omnes authoritatem (potentiam illi per me appellauerint, quando non illam ſemel ad ſuam ipſorum perniciem pertulerunt) inuidioſè calumniari. Turbas duobus his fratribus mouere, quales quondam fuerunt à Dathan & Abiron Moyſi & Aaroni germanis excitatæ. Vnius nimirum Caroli nutu rem totam gallicam procedere & conſilio regi. Senatum non quod ſentiret, ſed quod ipſe vellet, decernere. Vnum Franciſcum armis & tyrannide regnum vexare. Regni ſummam penes duos eſſe. Alterum in Gallia ſummum Pontificem: alterum, excepto nomine, Regem. Porrò autem his artibus regnum ab illis affectari, Regem pupillum ab eis captiuum teneri. Huius item rei cauſa altè & ex longa annorũ ſerie,

Ruffi. Eccleſiaſt. Hiſt. lib. 1. cap. 14. 15. & ſequent.

Hæreticorũ in Guyſios calumniæ & turbæ. Numer. 18.

repetito à Carolo magno Francorum Regum, à quibus prognati essent, ordine, Lotharingorũ Principum genus à Genealogis antiquis, non ita multis antè diebus, exquisitum. Quamobrem se non odio cuiusquam, aut proprij commodi causa, sed pro vnius regni regísque salute arma cepisse. Vrbes, quas occupassent, Regis nomine contra Guysiorum potentiam tueri. Statuisse se non aliud, quàm regnũ regi asserere, Regem in libertatem vẽdicare. Itaque Guysios solos sibi hostes putare, iis solis bellum inferre, eos se solos petere. O singularem hæreticæ prauitatis impudentiam! O petulantem & inuerecundã mentiendi atque maledicẽdi licentiam: quæ diuinis in rebus adulterãdis primùm exercitata, nec coërcita, in optimi cuiusque vitam postea grassatur, & cum clarissimorum virorum honoris & vitæ dispendio malis artibus regnum suum statuit! Quid addam amplius? atrocissimarum calumniarum teterrima affecti sunt, & (proh dolor) à falsis fratribus: iis scilicet, qui se Catholicos profiterentur, hominis verò Catholici ne pilum quidem vllum haberẽt: si Guysiorũ inimici partes Regis suscepissent: Guysios contrà, hæreticorum partes suscepturos fuisse? O nõdum satis afflicti & vexati calumniatores! nõdum satis duris verberibus atque vinculis districti & excruciati! Quid ita vero? quia dum vruntur, dum secantur, dum tunduntur, quasi stipites essent & fungi, verberum aculeos & laniatus non modò non sentiunt

Risum contine, si possis: nisi potiùs ad hanc hæreticorũ licẽtiam & calumnias dolore disrumparis.

A falsis etiã fratribus calumniis appetiti sunt Guysij.

ſentiunt, ſed propugnatores ſalutis ſuæ, defenſores fortunarum ſuarum auertunt, & maledictis quibus poſſunt, improbiſſimis inſectantur. O dirum & ex imis Sathanæ faucibus linguæ eructatum virus! Principes, qui capitis, qui vitæ periculum pro ſalute Reipub. neglexerunt, non modò perinde ac de illis etiam ipſis bene meriti ſunt, non laudare: ſed tãtis verborum contumeliis lacerare! tam impiè ingratos in eos eſſe, vt quos vereri, quos omni obſeruantia colere deberent: quibus ad pedes proſtrati ſupplicare, ne tantis pro Eccleſia & regno fatigati moleſtiis clypeum abiiciant, eos tantæ ambitionis, tam iniquæ non à Rege ſolùm, non ab Eccleſia, ſed antiqua Lotharingorum virtute, fide, religione, defectionis tam grauiter, tam ſine vlla data coniecturæ occaſione, falſò vt accuſent! Quid verò hîc faciat homo horum Principum innocentiæ & virtutis benè conſcius: quum ne ipſa quidem virtus ſi oculis cerneretur, ſi cum iis verſaretur, eorum linguas vitaret? reſpondeátne? At omnibus tacentibus horũ Principum virtus, vitæque ab initio ſuſceptæ, & nunc demũ exactæ præclariſſimo mortis vtriuſque teſtimonio rationes, iſtos cùm hæreticos, tum nomine ſolo meliores Catholicos, totos ex fraude & mendacio compoſitos arguunt, eorúmque calumnias & obtrectationes omnes obterunt. Sin quid hîc etiam amplius quæratur, non eſt lõgè hinc petendum, nec aliud, argumentum: quàm quòd

isti hominum generi tanto illi fuerint odio. Consequens enim omnino, vt fuerint valde boni: præsertim cùm odium improborum, bonorum confirmet innocentiam. Quid verò potiùs horum odio incitatum Dauidicæ lyræ plectrum hîc personet? Mors incautos vos occupet: & sicut Dathã, Core & Abiron, Mosis & Aaronis fratrum calumniatores, descendatis in infernum viuẽtes cum ista vestra vanissima suspicione, quicunque sitis tantorum architecti conuitiorum, tam apertorum authores mendaciorum. Ita non modò mente ad detorquendas scripturas corrupti estis, sed lingua, tãquam flabello, ad seditiones commouendas comparati. Sed enim, si vnius odio Guysij arma cepistis, cur illud eius sanguine minimè saturatum? cur vos in eius cæde non acquieuistis? cur arma non deposuistis? vel condonatis à Rege superioribus offensionibus, toties ad ea cur rediistis? Cur tribus postea commissis pugnis, non iam contra Guysium, sed Regem ipsum, contendistis? Non huc profectò, non huc summa consiliorum vestrorum pertinebat. Sed quod veterum scriptorum & antiquitatis Ecclesiasticæ periti olfecerunt ab initio sagacissimè, ex vestigiis cùm vestris in Germania, tum priscorum hæreticorum & aliorum exemplis, à quibus quondam sunt vel afflictæ grauiter, vel euersæ funditus potentissimæ Respub. maius quiddam, quàm Guysij caput, petebatis. Longiùs perspiciebatis, quàm sermonum vestrorum

Psal. 54. & 105.

Arma hæreticorum lõgius quàm in Guysium intendebãt.

ſtrorum compoſita & erudita ſingulari ſimulationis artificio prima facies indicaret. In qua nunc demum, ſubductis fuci & pigmentorum vmbris veliſque, quibus erat obducta, planè legitur qui ſitis. Legitur (quod etiam veſtrorum clamores & ſcripti in eam rem libelli propalā venditant) vos, quem poſſidere non poteſtis, hunc de ſolio deturbare ſtatuiſſe: eius in Gallia monarchicum ſtatum tyrannicum, vt vultis, euertere: in quo nō ex æquitate, ſed vnius, qui principatum obtineat, libidine, Gallicanæ res adminiſtrentur. Legitur, ſollicitare Gallos, ſe vt in libertatem Germanicam aſſerant. Regem vt ſuum agnoſcant, quemadmodum Germani ſuum Imperatorem: cui (*ait ex illis vnus*) veriùs imperant, quàm pareant. Niſi verò malint Geneuiſtam: quæ reuocatis ad ordinem & leges ciuium reliquorum nobilibus viris, excuſſóque legitimi magiſtratus iugo, ſtatum reip. oligarchicū, opinione ſua Ariſtocraticū, colit. Non, inquam, illuc, non in Guyſium ſolum oculi, manus, armáque veſtra collimabant: ſed in hanc Regni & Eccleſię ſtatus totius metamorphoſim, quam Tragedię exhibiturus erat exitus, niſi Dominus conatibus veſtris ab initio, indéque ſemper, obſtitiſſet. Vt autem hæc etiam quàm vera ſint, omnes certiùs videant, & ſimul, quales ipſi ſitis, iudicent: ego ſumma tantùm rerum capita ſequutus, initia conſiliorū veſtrorum, progreſſus & cōmutationes breuiter aperiā. Fabulæ protaſis fuit,

Aperiuntur hæreticorū conſilia de commutāda monarchia Gallicana in libertatē vel Germanicā vel Geneuēſem.

Ioh. Sleidanus ex Eraſmo. lib. 7.

Argumentū Tragœdiæ quā in Gallia egerunt hæretici.

Tragœdiæ protasis. Math, 7. qualis quondam Arianorum: qualem omnino futuram scriptura prædixit. Qua nihil ad speciem sanctius, ad veritatem autem & ad inescandos homines, nil captiosius. Arguuntur Sacerdotum, qui in Ecclesia præsunt, vitia. Postliminio restituta fidei promittitur integritas. Regibus nominatim & cæteris magistratibus debita obedientia commendatur. Aliáque eius generis plura: quibus initiò capiuntur insigniter & falluntur, qui probandis hominum ingeniis, ex Deóne sint, & ipsi non minus, quàm quiuis vnus ex populo, ingenio iudicióque indigebant. Quorum autem conscientia vitáque 2. ad Tim. 3. religiosior, animus fidésque certior & melior, hi Apostoli consilio constanter permanserunt in iis quæ ab initio audiuerant. Et horum intelligentiores, quemadmodum leones ex vnguibus, sic vos ex vestra vitæ cõsuetudine tales tandem futuros, quales nunc estis, prouiderũt: tales semper, nec alios, habuerunt. Quamobrem antè denuntiarunt cæteris, cauerent vt sibi ab ista pietatis blãda imagine: quippe sub ea latere hæreseos incautis propinatum venenum. Sub isto ouili vellere lupum latere. At (miserum!) quod in equo Troiano scriptũ legitur in extremo, Serò sapiũt, hoc quoque serò creditũ. Atque hîc de Guysiis nihil: nisi dum gliscit tumultus pungit vos Cardinalis concionibus & cõsiliis impediri.

Epitasis Tragœdiæ. Epitasis autem actúsue fabulæ medius tam acerbus, quàm aditus plausibilis, fuit. Nam dũ, quod vultis,

verbis

verbis non consequimini: & hoc (vt habet fabula) dentibus auferre dum contenditis, feruentissimæ omnium turbæ excitantur: & eiusmodi, vt Galliæ pars nulla sit, ad quam communis istius incendij, nõ scintilla, sed ambustus aliquis torris non peruenerit. Nemo, quo cum non sit creditum actum præclarè, si ex tanto armorum ardore, ex tanta regni flamma sine proprio salutis vitæque aliquo detrimento, & fortunarũ iactura sit ereptus. Irrepsistis in Regiam? ea continuò studia in cõtraria scinditur. Vestra possidendi Regis, eiúsque conuellendi status voluntas aperitur. Conscribuntur nobiles: qui passionũ vestrarum facti serui, bona sua, fortunas, familiam ipsam in suscitandas alendásque factiones profundãt. Serpunt simultates, quæ in aperta odia ac demum in acerbissima bella erumpunt. Guysium quoniam similiter in retia vestra illicere, in viuaria vestra cõiicere non potestis: Imò quia contrarius operibus vestris, huic triobolaris illa turba (quam rectè Germanicam dixeritis) commouetur: & interficitur ex insidiis. Pax postea atque Amnestia, cuius ille moriens faciendæ Regi & Reginæ matri author fuerat, cõuenit. Needũ tamen quiestis. Nam interiecto aliquot annorũ interuallo, eædẽ rursus, quæ superiùs, tacitę coitiones fiunt. Pecunia per Ecclesias obscurè cogitur. Colligitur miles, conscribitur exercitus, & Meldas educitur ad occupandũ Regẽ: quem vt cõprehenderetis, proximũ fuit. Deus autem occultorũ

Rex Meldis ab hęretic. fugatus Luteciam.

itinerum & angustiarum, quas sequebamini, speculator & illustrator, opportuno omnino tempore coniurationem patefecit: & arma vestra in ipso fugę itinere occurrentia Regi, tandiu continuit, quoad ipse Lutetiam perueniret. Hac iterum spe falsi, non iam opponitis Regem à Guysio captiuum teneri, sed oppressionem populi & eius subleuãdi studium vestrum tutelámque prætexitis instaurandi belli nouam occasionem. Quæ quoniam ad illud gerendũ satis multos à Rege non abducit: rursus Acheronta mouentes, Germaniam & Heluetiorum aliquot societates in Galliã, Causæ titulo, armatis. Non enim illa publici boni tuendi simulata procuratio satis speciosa ratio videbatur, propter quam in Galliam Germani euocari possent: nec iusta, propter quam vobis aduersus Regem subsidio venirent: nisi ad eam etiam religionis contentio accederet, & ex vtriusque coniunctionis vna & communis facta Causa domesticos & externos belli societate implicaret. Acta verò hæc est sæpe, & acriter disceptata causa, non eloquentiæ & argumentorum viribus in Senatu, quem ab Edicto Ianuario semper eiurastis, sed armorum passis in agro Sandionysio, Iarnaco & Cultimontano signis. In quibus omnibus pugnis Causæ sumptibus & impẽdiis multati estis. Maximè in illa D. Bartholomæi actione matutina. In qua Causa hæc subtiliter admodum & acutè perorata est: in qua Apostoli gladio vis vestra capite plexa est

Varię cõmutationes & gradus consiliorum hęreticorum.

Tres pugnę commissę cũ hęreticis.

D. Bartholomæi salutatio matutina.

eſt: & debilitata principatus cupiditas morte ignominioſiſſima illa quidem & inhoneſtiſſima, ſed tamen vitæ ante actæ conſentanea. In qua ſapientis perdita ſapientia eſt, prudentia prudentis reprobata percuſſáque cæcitate, & ſapiens in aſtutia ſua cõprehenſus. In qua denique in ſuo quiſque delicto conuenienti pœna affectus. Quin ab hac quoque ſententia poſtea prouocatum eſt à vobis in iis libellis, quos de ſpontanea Gallorum ſeruitute: tum de excutiendo, quo illi opprimuntur, ſomno, & excitanda ad ſpem libertatis attentione inſcriptos ediſtis. In quibus prouocationis inſtrumenta propria & ea dignas tabulas profertis, maledicentiſſimas in Carolum Regem & contumelioſiſſimas omnium, quæ in Heliogabalum & Sardanapalum, quorum nominibus illum dignamini, conferri poſſunt. Quamobrem vos conſtituiſſe, illum aut vi, aut veneno, aut alia proditione tollere. Eos porrò, qui illi pareant peſſimè de ſe mereri, omnium miſerrimos eſſe & ignauiſſimos: quippe quorum defectione illius potentiam tam ſit facilè debilitare & frangere, quàm hæc illorum obedientia & præſidio firmata retinetur. Hæc interpoſitæ appellationis veſtræ poſtulata fuerunt & concluſiones: quarum exemplo nouiſſimum bellum fratri Henrico Regi indictum eſt ab his, (qui veſtris) quorum vos armis cum Romulo diuiſum nunc imperium, totóque Regno cõſtitutam hæreſim tandem obtinetis. En quo Punica

Eſa. 19. 33. Pſal. 92. 1. Cor. 1. & 3.

Libelli hæretic. de excitãdis Gallis ad libertatem.

Catastrophe Tragœdiæ.

fides vestra regnum perduxit miserum! En gradus, quibus ad eam impietatē ascēdistis: vt eius odio qui partes vestras deseruerunt, tantùm vos ab Euāgelio, Dei timore & amore, quantum à salute Regis regníque recessisse affirment. En catastrophe Tragœdiæ: cuius quum tres partes fuerint, partium singularum scenæ plures, tamen in earum alteram modò productus est à vobis Guysius cōtra quē vnū si, vt vno vos omnes ore mundo denuntiabatis, arma vestra comparata fuerunt: cedo, inquam, cur illa in indignissima eius cæde minimè posita? Cur inde ad nouam belli occasionem ex procuratione publici boni, ab hac postea ad Causam, à Causa in odium Regis regníque tam acerbum exarserunt: vt nisi conuulso eius statu, & vel Germanica, vel Genuensi introducta libertate, illa nunquam abiecturi, nunquá quieturi videamini? Si denique priuatum aliquod cum Guysio vobis erat odium (quanquam quodnam aliud, nisi Reip. nomine, ab eo susceptum?) cur illud in vniuersam Galliam effusum? Vel hoc si priuatis alterius in alterum officiis fuit extinguendum: cur illud in Ambasianæ coniurationis occupatione non oppressum, quum ad postulationem Guysij & eius in vos beneuolentiam atque liberalitatem decreta pecunia est pluribus eorum, qui circùm erant ad eum iugulandum in insidiis collocati? Ah miseri & nefarij proditores! hæccine vestra in illum gratia? hæccine vestra in Regem obseruantia?

Guysius semel in Tragœdiæ theatrum ab hæreticis productus.

in Gal-

in Galliam charitas: cuius vos initiò deditiſſimos, obſequentiſſimos, officioſiſs. &, ſi quid addi poſſit ampliùs, eſſe dicebatis? Sed hæc hactenùs de odio in Guyſium: deinceps de eo, quod in Cardinalem exercuerunt, dicendum. Eiuſmodi verò id fuit: vt illo interfecto, huic etiàm minarentur ad necem ſuper eſſe non quadraginta modo (ſicut de D. Paulo accepimus) ſed innumerabiles Poltrotos (ſic enim illi libenter crebris ſermonibus & honorificè hoc ſceleratiſſimi parricidæ deteſtabile & impuriſſimũ nomen vſurpabant: cuius appellatione vereor, ne piæ mentes auréſque veſtræ grauiùs offendantur) pro hoc, inquam, ſicario poltronio innumerabiles ſuſcitatos: qui arctiſſima conſpiratione ſe diris deuouiſſent, ſi ſibi priùs cibus quiſquam vel potus gratus foret, quàm Carolum etiam ex numero viuentium exturbaſſent. Quamobrem etſi fuerunt Carolo quotidiana & perpetua vitæ diſcrimina, ex quo ferrea illa hæreticorum proles in Gallia exorta eſt: tum verò, poſtquam ex Concilio Tridentino reuerſus brachium ſuum dextrum, robur conſiliorum, vltorem iniuriarum, actorem denique totius ſuæ cauſæ fratrem Guyſium ſibi ereptum reperit, multò maxima & grauiſſima extiterunt. Fuit exinde vt ſagittariis ſcopus, vt canibus fera, ſic ille hæreticis propoſitus, in quem vnum ſuas ſagittas dirigerent, in quem ſua tela torquerent, quem configerẽt, quem omni ſagacitate ad prædã perſequerentur, in

Tranſitio ab odio hæret. in Guyſium ad eorumdẽ in Cardinalem odium.

Act. 23.

Caroli labores & pericula.

quem denique omnes suos impetus conuerterent. In omnibus itaque fuit ille versatus & exercitus periculis, cùm in regia, tum extra regiam. Periculis obortis in vrbibus, tum extra vrbes: periculis in mari, periculis in terrestribus itineribus, periculis ad altare sacra faciens, periculis pro concione Ecclesiastæ munus obiens. Nulla denique eius vitæ pars, quæ à periculo aut periculi metu vacua, quæ tuta ab iis fuerit: qui per regiam, per vrbes & loca, per quæ illi iter esset, volitabant: qui huc atque illuc cursitabant, qui denique omnia circumspiciebant, quò ex insidiis illum interciperét. Is igitur quum se tot vndique circumfusum periculis videret, se quotidie de vita periclitari, nec magis tutum, quàm quæ ex vna arbore in aliam à timore aucupij auis circumuolat: solebat sibi primùm profugi Dauidis memoriã ante oculos ponere, crebrísque suis ad Deum orationibus vsurpare psalmum trigesimum, plenum affectibus: quibus ardet fidelis, vt fluctibus mare, sic iniuriis inimicorum, quasi procellis & tempestate aliqua, iactatus. Quem psalmum in volumine descriptum & ex dextra pendentem tenet in eo tabulato, quod eius persimilem habet effigiem, quódque ad eius sepulchrũ in celeberrimo loco, in sinistra partis interioris templi pila Canonici affixum voluerunt: vt illud intuentes, ad colendam & cum omni charitate atque beneuolentia vsurpandam, optimi simul & amantissimi sui quõdam pastoris memoriam excitenn-

Carolus in his periculis Psalm. 30. vsurpat pro oratione ad Deum.

citentur. Quandiu priuatum fuit odium, priuata ſe ſolùm diligentia & vigilantia, nullo publico præſidio, defendit: quum verò nõ vnum ſe, ſed vniuerſam Eccleſiam peti, regnum ipſum tentari, Galliam totam ad exitium & vaſtitatẽ vocari vidit: muniuit ſe quinquaginta ſtipatoribus ex Regis mandato: à quibus ad interius etiam vſque Regis cubiculum deducebatur: quibuſcum concionari, ſacra facere, & mixtis cum litato thure tetris tormentarij pulueris odoribus offerre cogebatur. Tantæ rerum illi fuerunt aſperitates & anguſtiæ temporum! quid enim hîc feciſſet aliud? Mortem non ipſe pro Chriſto formidabat: quam ab hæreticis intercluſus non modò volens & lubens ſuſtinuiſſet, ſed vltrò etiam ei ſe obtuliſſet, ſi modò Eccleſiæ & regno ſalutaris. At didicerat ex Euangelio, inimicorum crucis Chriſti laqueos, & hæreticorum fraudes declinandas: Euangeliíque propagandi atque aſſerendi temporum opportunitates ſuſtinendas. Et ſimul dictabat animus, omnéſque boni perſuadebant, vt ſe Regno & Eccleſiæ ſeruatum vellet. Quid verò hîc opus eſt appoſitione & enumeratione periculorum: præſertim quum & ea plura ſint, quàm quiſquam numerando conſequi poſſit, & recenti memoria ea vos ipſi teneatis? Certum tamen quoddam & breue, exempli cauſa, ponatur. Anno impertitæ nobis à Deo Opt. Max. ſalutis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, ad vigeſimum

Publicũ ſtipatorũ corporis à Rege Carolo conſtitutum præſidium.

Vnum ex multis inſidiarum, quæ Carolo factę ſunt, exemplum.

quintum diem, mensis Sept. Venerat Rex Meldas celebraturus D. Michaëli festum diem, & comitia torquatorum equitũ habiturus. Tum Carolus erat in Regia. Qui dies pro festo funestus penè & nefastus vtrique extitit. Nam (vt de Carolo tantùm dicam) eò hæreticorum armatas multas & instructissimas copias maximo impetu accurrere, vt est nuntiatum: cum paucis ille furtim egressus vrbe, ad quintam serotinam in Castrum Pauentinum intempesta nocte venit, postridie Dormani pransurus. Quò quum eius anteambulones fercularij primo diluculo peruenissent, eò iam armatos hostes præcurrisse, & in insidiis positos reperiunt: qui aditum, quo Matronam transmissurus erat, intercluderent. Alios item singulis momentis aduentare. Rogati, si transisset Cardinalis, aut vbi esset, hominem se nosse pernegant. Vnus positis clitellis, quà descenderat, equis & velis ad Dominum suum reuolat: & nuntiat cùm citra, tum vltra Matronam ei paratas & patefactas insidias. Hoc quoque incõmodum accesserat, quòd tum pro ineuntis Autumni dieíque tempore, & aquarum in media conualle decursu, erat aër bruma & caligine obsitus, vt ne ad iactum lapidis quidquã oculis discerneretur. Tum Carolus, Domine, inquit, qui releuas profunda de tenebris, ecce circum nos fusa caligo terram operit: & nuntiatur proximos esse, vitam qui quærunt meam. Eos, quæso, si circum sint, nobis aperi: & illumi-

Caroli fuga Meldensis.

Oratio Caroli ad Deũ.

illumina his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Hoc autem carmen ei tum potissimùm occurrit: quòd quoties ei rus iter esset, domo antequam exiret, integrum Canticum, vnde illud sumptum est, adhibito ad finem Missæ Eleemosynario, vel ex seruis alio, recitare consuetudinis eius erat. Ecce verò ad hanc precationem dispulsa bruma, & liquida iam facta luce, campi hostes ostendunt. Quos ipse ad radicem cliui conspicatus, dimittit quoquouersus, qui nauigiorũ, quibus fluuius transmittebatur, funes præciderent. Ipse verò repentè de quadriga in equũ insiliens, effusis habenis, antè Castrũ Tierrium peruenit, quàm eum hostes assequi potuerint. Hîc vrbis & ciuium præsidio munitus, toto die seruatur. Sub insequentis verò noctis vndecimam dimissis sarcinariis iumentis alio, quàm ipse ingressurus esset, itinere: inde antè, quàm hostium copiæ cogerentur, deductus à ciuibus: & ducto cuique circum pileum strophio, ad mutuam suorum agnitionem, tota nocte iter faciens, ex insidiis, ex ferro, ex manibus parricidarum elabitur: & tandem saluus Rhemos peruenit, postquam sub secundam à media nocte illacmet transiuisset; vnde hostes non ita multò antè ex insidiis ad aliud iter, quod illum ingressum suspicabantur, diuerterant. In quo repertas sarcinas & vasa interceperunt & expilarunt omnia: vno ex seruis interfecto, qui, qua fortè Dominus

Luc. 1.

Supellectilis Caroli ab hæreticis intercepta.

Seruus Caroli cæsus in hac fuga.

eius petebatur, glande venenata percussus, repētino cruris ad iustā corporis molem exorto tumore, ex tēpore interiit. Hoc ex multis, quibus ipse Dei singulari beneficio liberatus est periculis vnū. Quod quāquam eiusmodi est, vt ex eo solo cætera discere possitis: tamen quoniā eorum repetitā memoriā video vos libenter audire, & eā vos cum miseratione delectare, attexā & hoc vnū modò, quod ferè annis tribus antè, quàm illud, accidit. Rhemis venerat in suū iuxta Lutetiā Sandionysium. Vnde Lutetiā venire cogitanti, multa, quę reuocarent, occurrebant. Se nimirū ad eam vrbē accedere, quæ suo Camillo Guysio orbata, tota iaceret in sordibus, lamētis, mœrore & luctu, tota squaleret. In qua non ipsemet idem esset, qui antea fuerat. In qua ciuibus esset præcisa lingua ad suam deplorandam calamitatem, ad expostulandum de iniuriis. In qua, quos iamdudum necari oportuisset, ne verbo quidem quisquam eos auderet lędere. In qua bonorum vinctæ manus ad demonstrādas & propulsandas iniurias. In qua ciuibus ad se tuendos vsus armorum interdictus esset: & hoc nomine eis imperatum, vt ea singuli in Curiam municipalem deportarent. In qua literatis prohibitum loqui quidquam, cōferre, mussitare, scribere: &, si tantùm menti imperari potuisset, de afflicta & oppressa ciuitate cogitare. Hæc & alia, quæ nunc non est narrandi locus, vt ab instituta profectione desisteret, monebant. Sed hæc eadem fortè ex Regis

Alterum ex pluribʼ aliis, quæ Carolo factæ sunt, insidiarum, exemplum.

mandato, quod tribus ad se Rhemos continuis literis acceperat, vt eò proficisceretur imperabãt. Rex enim singulas regni eásque remotissimas prouincias obiens, ab ea Galliæ Belgicæ parte tum aberat. Quo tẽpore (vti ferè fit, absente Domino domi vt multa turbentur) cùm apud Andegauos, Cenomanos & Turones, tum in aliis quoque interioribus prouinciis multæ sunt excitatæ turbæ: & hîc potissimùm occultas strui non obscurum erat. Accedebat, si quisquã de comitatu quereretur, nulli non, cuius interesset, cognitum singulari Regis priuilegio datos sibi quinquaginta stipatores: quos (maximè eius absentiæ tempore) quocunque ad custodiam salutis & suæ & pupillorum fratris Guysij, quorum tutor esset, quos tum secum haberet, duceret: duxissétque hactenus liberè, & eorum septus comitatu, vel vsque ad interius Regis cubiculum, ex constanti & perpetua Regis voluntate & authoritate etiamnum esset deductus. Rerum igitur, quæ tum agerentur, momenta, vt in eam vrbem iret, quæ pietatis Catholicæ in Gallia caput vt fuit antea semper, sic nunc etiam integra constanter perseuerat, impulerunt. Illuc ergo proficiscẽti, & eo habitu atqùe comitatu, quo ferè non alio per vrbem incederet propter itineris breuitatem, honoris (vt fit) causa, frequentes ex vrbe obuiã ei veniunt Nobiles, Senatores & Mercatores: quorum torquati quinque equites mulis, plures tolutariis & stragula tectis equis insidebant. **Apparatus Caroli Lutetiam proficiscentis.**

Hic verò gladiator, qui illud iter ad oppugnandam vrbem, ad cædes faciendas iamdudum apparasset, armis, quibus nullis in vita cinctus fuit (vt pote nõ armorum, non rei militaris peritus, sed eloquentiæ iurísque cùm diuini tum humani & natura & disciplina consultus) paruulis scilicet duobus Principibus nepotibus ad vtrumque latus expeditus, hos atque illos, qui fœlicé ei aduentum gratulaturi occursabant, resalutando satis impeditus, procedit. Vt autem qui præibant ad suburbium venerunt, ecce superiori longè dissimilis hominum cohors ex vrbe eis occurrit, bellatoriis equis armísque ornatissima. Cuius dux & signifer vt de regia & publica via illi sibi cederent, terrendo minaciter imperat: & de viæ aggere per vim exturbare nititur. Alter contrà, satis illum quidem pro imperio, qualiscunque esset, respondere, omnes illi, quibus magnus esset, dignitates & officia cõcedere: minimè tamen decere eos Principes, qui sequerentur, quorum alter esset primus Franciæ Par, summus alter Regiorum officiorum magister & præfectus, ab eo de via dimoueri. Quamobrem se illi, de tam arrogante imperio parcere: porro autem vt de via cederet, vt in dextram aut sinistrã concederet, monere. Hæc dum ad Carolum deferuntur: discedit de via, qui aditum ad vrbem præclusurus venerat. Et siue quòd pedestris armata copia, quæ cum eo in subsidium missa cursu consequi non potuerat, præsto non esset: siue quòd de Caro-

In ipso vrbis ingressu quantæ Carolo excitatæ turbæ.

de Carolo intercludendo mandatum haberet, inde prætergressus, non iam à fronte, sed à tergo Carolũ insequitur. Qui vt est vrbem ingressus, ecce item longa serie productum armatorum peditum, loricarum atque cassidum fulgore illustre & coruscans agmen, spe atque animis inflammatum, contento cursu, medio Dionysiano vico, rectà Carolũ petit. Quod eius custodiæ præfectus vt vidit, & eorum quosdã torméta iam in se intendere, restitit: quúmque subiisset se à tergo & fronte interclusum, suos ad arma vocat, & iubet tormentis adductis vehemẽtius fixo stare pede, & præsenti animo properantiũ impetum sustinere. Hîc Carolus statim ex equo desiluit, territus rei nouitate: & ad proximam portæ, quam primùm vidit, funes nectentis hominis domum diuertit: interminatus suis in pœnam summi supplicij, si tormentum quis mitteret. Ad eos tamen procurrit præfectus eius custodiæ: qui diuisos equorum impetu, & quà domus aliæ alias se in longitudinem vici contingunt in arctum vnum post alium, quasi per ordinem, coactos sic coercuit & remoratus est, vt ne quidem ad intendendum tormentum loci satis haberent. Horum præfectus deductus ad Carolum, culpæ fortasse sibi conscius, quòd ad horam & sibi constitutum vadimonium cum equestri cohorte, ad vrbis portam non stitisset: ac proinde disiunctis copiis, quod institutũ & imperatum fuerat, perficere posse diffidens, affirmat se

in præsidiũ portæ solummodò missum: quo porrò consilio, ignorare. Exinde, dato iureiurando de nulla vi inferenda, dimittitur. Carolus post hæc, quasi qui per ignem & aquam saluus transisset, lætus in equum rursus ascendit. Sed vt est aliquantò longiùs vicum progressus, ecce demum ex suis seruus ad limina cubiculi, qui paulùm anteuerterat, recurrit effusis habenis: & ad pedes digressus, correptis equi Domini sui fręnis, iubet eum ex tempore desilire. Quippe proximo ferrario vico se conspicatum armatos innumerabiles equites, eorúmque in numero animaduertisse duos insignes, alterum iuratũ inimicum suum, alterum ex corrigia fulua, qua loricam subligaret, certò notauisse. Reiectus ab eo, vt insanus, instat: & pro Aquitani hominis licentia deierat non semel eum se, nisi descendat, interfecturum. Vrgebat itidem, quà institerat, ciuis optimus, vt ad se diuerteret. Esse quippe domi plures recessus & diuerticula, per quæ ex vna in plures vicinorum domos, & vel in posticum vicum euaderet. Non acquieuit tamen priùs, quàm manifestam videt serui fidem: quàm ardentes clypeos & æra micantia, séque medios in hostes delapsum cernit. Quãobrem ille nouo territus insidiarũ metu, in pedes se coniicit: & huius ciuis domum repentè proripiens Guysium nepotem, velut paruum Ascanium, se sequi iubet. Hic verò æquis passibus Patruum non consequutus, ad limina domus institit: dextráque atque

sinistra

ſiniſtra manuale minus tormentum intendens,ea, quæ futuræ reſurgẽtis paternæ bellicæ virtutis ſpem certiſſimam promitteret, fiducia,hoſtium aduẽtum ſuſtinet. Miſcentur interea varij clamores, & armorum magnus horror ingruit. Alius, Domine, exclamat, fuge Domine: proximi ſunt, vitam qui petunt tuam. Tum autem hoſtes vociferari, & inania toto vico de Cardinali & Guyſiis verba, minas, probra iactare: vt ipſi arma ponerent, vt ipſi ſe ſe dederent, intonare. Plures itaque Caroli ſerui, quà pateret fuga, alia atque alia via elabuntur. Vnus & genere clarus & nomine fuit, togatus, & ex intimis Caroli familiaribus vnus: quẽ improuiſus & inopinatus pauor ex equo deſilire minimè paſſus impulit, equo cõcitato, in templũ ſepulchro Domini ſacrũ, velut ad Aſylum,ex iſto tumultu repentè proripere. Carolus verò domũ eò,quàm longè prælongus eius aditus & angiportus fert,ad poſticum inferius cubiculum, ingreſſus, & retrò demum referens oculos, dum non videt Iulum ſuum, quæritur ſibi ab hoſtibus ereptum. Itaque feſtinus illum ab oſtio quærit. quem inde vt intromiſit, dum fores conatur claudere ſeruus domus, primus tormento mittitur venenatus globus, qui ſeruum ad radium brachij mortifero vulnere cæcidit (eo enim aliquantò poſt interiit) tum ad cubiculum, cui Carolus fugiens proximus erat, pertingens oſtium ad altitudinem, qua propè ingredientis Caroli caput eminebat,trãsfigit.

Carolus vita periclitatur.

Tumultuantur ad ianuam inimici: audiuntur frequentes maiorum & minorum tormentorum ſtrepitus. Ex ſeruis, qui cum Domino remanſerant, alij ſpoliantur armis, alius aliud atque aliud vulnus accipit. Carolus interea nullo legum præſidio, ſed vnius cubiculi parietibus tectus, multis cum lachrymis: Domine, inquit, ſi venit hora mea & poteſtas tenebrarum, ſerua duorum principum puerorum innoxium ſanguinem. Interea veniunt ab vrbis ianua, qui nuntiant Ducis Almalæi aduentum: quò plures inimicorum influunt. Reliqui huc atque illuc effuſi, ſeruos Caroli perſequuntur. Accidit verò vt Almalæus ne ſuſpicatus quidem, quid tum in vrbe ageretur, quomodo frater tractaretur, non hac, ſed quæ ad Luparam eſt, porta vrbē ſit ingreſſus. Et Carolus ſedata tempeſtate ciuium magno comitatu Cluniacam domum deducitur. quò nobiliſſimi & conſtantiſſimi quique ciues certatim concurrunt, vrgéntque, patiatur, vt ipſi per ſe de inimicis acceptam vindicent iniuriam. Potiſſimùm verò Almalæus: qui vt alto & erecto animo natus, ſic in illuſtri ſemper laude verſatus, & inſolens contumeliæ, tantum tam atrocis iniuriæ aculeum nullo modo ferre poterat. Quamobrem ſtatuerat eam quacunque ratione actutum vlciſci. At Carolus ea, qua præditus erat, flexanima oratione horum omnium regens leniénſque animos, vnum modò perſuaſit neceſſarium: ſibi circum domum

Caroli oratio ad Deū.

firmum

firmum nocturnum præsidium: & ne publicus vllus in vrbe tumultus concitaretur, nonnullas in vrbe vigilias collocari: Insequente nocte res acta est alia nulla. Postridie verò ad octauam quingenti armati pedites equitésque plùs minùs trecenti instructissimi, omnes apertis armis, & velut ad pugnam dimicationémque descendentes, circum Caroli domum obuersantur: & quos domi sciebant ad custodiam conclusos, maledictis omnibus & iniuriis ad pugnã prouocant. Fremũt intus interea magno cum murmure, qui cum Carolo sunt, & per vim in medium vicum in hostes erumpere nituntur. Vrbe tota ciuiũ cõmouentur & incenduntur animi: & oblata, quam expectabant, occasione, gestiunt, quod conceptum in eos iamdiu continebant, odium, hoc vno planè effundere die. Quamobrem vix tandem à ciuitatis primariis viris Carolus obtinuit, vt ipsi iam antè meditatam, & ad hanc recentem iniuriam gliscentẽ seditionem & impetum populi ab eis vellent continere. Vix persuasi primarij exæstuãtis ac propè erũpentis ciuitatis ardorem restinxerunt & represserũt potentiam. Rumpebantur hac inimicorum licentia ciues, & præcipuo quodã dolore disrumpebantur, se coram eum Principem vexari & opprimi, cuius cõsilio & fratris armis ex acerbissima vexatione, vastitate, rapina, à cæde miserrima, ex flamma, & ferro bis essent erepti & conseruati. Alterius porrò partis homines itidem quum essent tantò ad lacessendum

Carolus Lutetia & prouincia Franciæ tota fugatus.

promptiores, & ad nocendum obstinatiores: statuit Carolus cedere potiùs, quàm armis decertare: quàm ad vllam propter se occasioné vllius ciuium, propè dicam suorum, sanguine videre cruétari ciuitatem. Et ab ea vrbe discedere statuit, in qua & vincere & vinci miserabile esset & luctuosum. Quamobrem sub noctis vndecimã egressus, Mudonium profectus est. quo etiã dimissas esse ad se oppugnãdum copias & cõparata tormenta, quum accepisset: inde postridie Dampetram fugit. Vnde Gaspardus Colignius nõ ampliùs, quàm vnius itinere diei, aberat. Quamobrem & hinc & tamdiu Carolus fugit, quoad in Campaniã, quæ nepotis Guysij præturæ paret, prouinciam peruenit. En, Auditores Christiani, insidiarum & periculorum, quibus Caroli exposita vita fuit, exempla duo: ex quibus cætera, quàm multa quámque magna fuerint, quamuis hîc nõ exposita, cognoscite. Hæc certè quum ad nos quotidie deferrentur, nonnullorum etiam spectatores quum essemus: factum semper existimaui non humano cuiusquam vel consilio, vel præsidio, quòd ipse viueret: sed singulari Dei prouidentiæ & custodiæ tribuendum, quòd ex tam multis periculis & insidiis, atque ex media morte, non ad suam potiùs, quàm Ecclesiæ & regni salutem sit seruatus. Et verò quòd tam diu (quod profectò naturæ & bonis omnibus parum fuit) viueret, certissimum esse miraculum. Nam cui tot tẽderentur insidiæ, cui tot iurati essent

Carolus solius Dei singulari prouidentia ex tam multis insidiis seruatus.

Poltrotij

Poltrotij: quomodo tandem aliquando in eorum vnum non incidisset? præsertim etiam quum à suis nō rarò vexatus fuerit, quòd sibi parum ab inimicis suis caueret. Ex ea igitur, qua nati sunt omnes homines, moriendi necessitate, tum multò etiam magis ex eo, quod fratri accidisset, sibíque nō rarò fuisset intentatum, prospiciens quid sibi quotidie impenderet: statuit incerto certissimæ mortis euentui antè sibi obuiam procedendum, quàm subito aliquo casu interciperetur. Itaque sic viuebat, quasi quotidie iugulum hæreticorum mucronibus daturus esset: sic in vitam suam & mores inquirebat, vt primo quoque die ad supremum illum cœlestium spirituum senatum deducendus, ibíque coram iustissimo & tum inexorabili Iudici Deo omnis antè actæ vitæ rationem redditurus. Non vereor, vt quis Rhemensium Canonicorum me hinc exaudiat: nec si intellectum erit, me violati sacramenti reum vt agat quisquam eorum, quorum certissima memoria eius, quod dicturus sum, fidem sine vllo suo peccato maximam factura sit. Venerat is, ex more, ad comitia. Vbi quum de iis, quæ occurrissent, negotiis esset constitutum: tum ipse cœpit Ecclesiæ, Regni, suas quoque cum illis fortunas, velut in sinu fratrum familiariter conqueri & deplorare. nimirùm præter bonorum omnium communia damna, suam quoque vitam in proprio aliquo periculo in dies versari. Se porro, præter illa externa, naturæ vires deficere

Caroli præparatio ad mortem.

Carol' in capitulo Rhemēsi cū suis Canonicis.

Vitæ suæ exitum prædicit.

non obſcuris indiciis experiri. Iam ſe maturè ſeneſcere, ac (vt iiſdem, quibus ille, verbis vtar) iam delibari, iam ſuæ reſolutionis tempus inſtare. Se tamen adhuc valenti bonóque animo eſſe. quod opinor eò additum, vt hoc, velut ſuperinfuſo melle, abſynthij falleret amaritudinē: vt, quem illi ex mortis ſuæ prædictione concepiſſent, dolorem, mitigaret. Studium illis ſuum & gratiam, quacunque apud Regem & Senatū valuiſſet, ex quo cum illis fuiſſet, nunquam defuiſſe. ſi quid eſſet item, quod eorum cauſa efficere poſſet ampliùs, dum adhuc liceret, vt proferrent, rogare. Inuitum ſe in Eccleſiæ ſuæ rerū ſacrarum venditionem conſenſiſſe. Cæterùm ante aliquot annos ex ære ſuo nonnihil iam ſuppleuiſſe: & perfecturum, vt auctā ex abundantia ſua (ſic enim ſcripturæ verba libēter crebris vſurpat ſermonibus) ſacrarij inopiam, propriámque cumulatam tandem aliquando gauderent. Sed ab eis viciſſim poſtulare, vt qua illum fide & pietate ſuperarent: hôc, quod in ſe diminutum eſſet, lubentius apud Dominum pēſarent. Ex iiſque, qui de ſe benè meriti eſſent, vnius præcipuè Henrici Valeſij Regis Chriſtianiſſ. memoriam cum omni charitate & eius in ſe beneficiorum grata recordatione perpetuò retinerent, & ſuis illum apud Dominum precibus commēdatum vellent. Huic enim quum libenter ſeruiiſſet, tum ei vni omnes honores & fortunas, quibus ampliſſimis eſſet ornatus, gratas & acceptas referre. Quas demū ipſe

2. Timot. 4.

2. Cor. 8.

Caroli in Henricū regem grati animi memoria.

ipse in Ecclesia Rhemensi preces & supplicationes eorũ summo cõsensu instituisset, vt religiosè colerẽt, valde precari. Quæ omnia nos in eam partẽ accepimus, vt qui amorẽ in suos singularẽ solùm aperiret. Quis enim hominẽ, qui annum quinquagesimum nondum impleuisset, ita moribus temperatum, vt nullis vel prosperis, vel aduersis de gradu constantiæ deiiceretur, integra ætas, optimo corporis habitu, valentibus viribus, non cibo, non potu, non luxu, nullo excessu, naturam opprimentem suam: sed eam omni vitæ victúsque ratione prudenter fouentem, isto ætatis immaturo, Ecclesiæ & Regni alienissimo tempore eripiendum coniecisset? At euentus longè omnium luctuosissimus nimiùm indicauit illum, tum seriò de præcepta & antè meditata sua morte loquutum. Idem testamentum conscribit & consignatum deponit apud Serenissimam Principem Sororem Renatam à Lotharingia Abbatissam à Sancto Petro Rhemensi: ad quod singulis quibusque Paschalibus rediens, idem vel retinebat, vel pro arbitrio addendo detrahendóque innouabat. Et ipse sibi tumulum tribus antè quàm excesserit annis extruxit: idémque tumulo carmen his verbis superaddidit, D. O. M. Carolus S. R. E. Presb. Cardi. de Lotharingia, Archiepisco. Dux Rhemen. primus Par Franc. S. Apost. Sedis Legat. nat. de morte & resurrectione cogitans, viuens sibi posuit, An. M. D. LXXIII. Põtificatus sui anno XXXV.

Testamentũ multò antè mortem cõscribit.

Tumulũ sibi ante obitum extruit.

Epitaphiũ ipsemet sibi ponit.

Vixit annos Obiit An. Domini M. D.

Eſt in Eccleſia Rhemenſi intra chori ambitũ poſt altare maius longum & amplum ſpatium: ad cuius partem ſuperiorẽ erexit altare in memoriã S.Crucis, non tam opere, quàm materia (quippe nigri parij lapidis ſimilitudinẽ referente) decorũ & religioſum. Ad id rem ſacram faciebat, quum ſolennem non inſtituiſſet. Retrò ſibi ſepulchrum ex eadem extruxit materia. Cuius primùm quatuor eminẽt columnæ: quarum aduerſæ duæ totidem altaris cornua poſteriora contingunt. Omnibus autem ſubnixum eſt tabulatum, & in medio tabulati ſitum auro vſquequaque coruſcans theatrum: in quo illuſtre ſignum crucis, & circum Dominicæ paſſionis actio ſuis omnibus diſtincta perſonis, religioſè colitur. Imis partibus lapis intra complexum columnarum, ad ſemipedis altitudinem excitatus à terra tegit ſepulchrũ, quo corpus conditum eſt. Et circum lapidis margines æneis literis inciſum & inſcriptum: Ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti. O conſtantem & egregium Chriſti præconem, cuius præciſa lingua, cuius oſſa & cineres etiãnunc nobis de fide in Chriſtum, de ſpe & gloria reſurrectionis concionantur! O ſalutare præparationis ad mortem verè piis & Chriſtianis hominibus propoſitum ad imitandum exemplum! Quid? mortis hæc meditatio mortem illi maturauit? Dementium eſt hæc, & carnis, quæ nil minùs, quàm hanc

Sepulchri deſcriptio.

Ioan. 11.

hanc cogitationem concipit, ſecuritate confidentium hominum iudicij temeritas. Ecce optima princeps eius mater ſibi non tumulum modò, ſed funebres & faces, & veſtes pro pauperibus ad exequias cohoneſtandas, omniáque, quæ ad iuſta ſuo funeri ſoluenda vult conferri, multò pluribus antè annis parauit. Ad tumulum velut ad ſe iam humatam, quotidie venit. Ibíque in genua procumbẽs Dominum adorat, & orat. Quin anno quoque vertente, poſtquam illum exequiarum apparatum pauperibus erogauit, nouum in annum ſequentem, & deinceps in ſingulos, quibus eius vita proceſſerit, reponit. Illa tamen tertium & octogeſimũ annum agẽs, tot annos quàm multos anteà nõ auſa fuiſſet à Deo optare, viuit: & ad exemplum veteris Eccleſiæ, ad imaginem antiquitatis vt diutiſſimè viuat, à Deo precari & poſtulare debemus. Non, non, inquam, Carolũ nobis hæc cogitatio ante tempus ætatis eripuit: ſed, vt initiò propoſui, peccatorum vindex ira diuini numinis. Quæ, quas vindicare ſtatuit, prouincias fortiſſimis & cõſultiſſimis quibuſque, quorum virtutibus & conſilio nituntur, orbare ſolet & deſtituere. Tumulum ergo ipſe ſibi fodit, ſibi Epitaphium poſuit: Deo autem altare erexit: ſubter quod ſimul & ſubter crucis trophæum humari voluit: quòd nimirum ſacrificij crucis ſempiternam ad altare memoriam & beneficium ſumma religione coluerit: vtriuſque certè coniunctum & indiuiduũ

Caroli mater ex lõgo tẽpore omnia ad funus ſuum parata habet.

Eſa. 3.

fructum frequenti communione percipere solitus fuerit. Et subter altare in sepulchro condi: quippe qui ad eorum societatem omni voluntate & studio aspirarit, quorum corpora propter verbum Dei interfecta sunt, eorum verò animæ subter altare conditæ, resignato quinto sigillo, audiuntur clamantes ad Dominum. Ecclesiam Rhemensem vt suam, vti erat, sponsam, suauissimè diligentissiméque coluit & amauit vnicè: cùm propter eius dignitatem, domus illius decorem, & in solennibus sacris conficiendis omninóque in omni officio diuino splendorem, religionem, reuerentiam: tum hòc vel maximè, quòd his temporibus sartam se & tectam ab omni hæreticorum fermento integram & castam seruarit. Adeò, vt haud facilè quisquam aliam toto regno reperiat, quæ minùs hac macula notata sit, quæ huius hæreticæ doctrinę fucis & pigmentis minùs sit illita. Quam ob causam in cōcionibus sæpe iisdem illos verbis, quibus suos D. Paulus blandè & honorificè appellabat: Vos ô charissimi mei ciues, gaudium meum, mea gloria, spes nostra, nostræ corona gloriæ. Huius ego Ecclesiæ mores & instituta quum aliquando mecum tacitus reputarem, eámque accessione Seminarij & eius singulorum alumnorũ in antiquis Ecclesiasticis restitutis officiis ministerio, aliisque veteribus redditis ornamentis illustrem & grandientem quum obseruarem: videre sanè mihi videbar reuiuiscentis Ecclesiæ primum statum

Cur propè sub altari humatus Carolus. Apo. 6.

Amor Caroli in Ecclesiam vrbéque Rhemensem.

Ecclesiæ & vrbis Rhemen. decor.

Philip. 4.

ſtatum, eiuſdémque expreſſam in illius moribus faciem aliquam & imaginem. Quamobrem ſicut eſt boni paſtoris (vt quondam Moſes) non de præſenti modò commiſſi gregis ſalute ſollicita & anxia cuſtodia, ſed de futuro quoque multùm lōgéque in poſterum proſpiciens: ſubit illi, pro perditorum etiam temporum malitia & calliditate, cogitare & vereri, ne poſt obitum ſuum in eorum alicuius manus Eccleſia Rhemenſis vidua perueniret, qui Eccleſiarum ſucceſſiones earúmque bona ad prædam, ad omnē forenſiū litiū aleam, & prout quiſque maiore artificio in ea ſe iniicere & intrudere, quò egregiè magis Regis nominationē fallere & ei imponere poſſit, omnibus ſine delectu expoſita putant. Hoc metuens, ſtatuit in Iſrael ſemen poſt ſe relinquere. Cuius rei cauſa ſucceſſorem ſibi de gente ſua deligit Franciſcum à Lotharingia nepotem, magni illius Guyſij fratris pro Eccleſia interfecti filium. Atque vtinam, Auditores, huius argumenti ratio pateretur, me locū hunc ſilentio præterire: propter quem vnum, vel maximè hanc apud vos dicendi prouinciam deprecabar & ſuſcipere recuſabam. Prouidebam enim mihi in hunc neceſſariò incidendum, nec me aliter hinc expediri explicaríque poſſe. Aut vt eum iam ſine acerba communis mihi vobiſcum veteris renouatione moleſtiæ, ſine deſideriorum & dolorum, quibus penè confectus ſum, redintegratione, præteruectus eſſem. Sed quando iam ad ſupe-

Deut. 31.

Deut. 25.

Carolus ſibi ſucceſſorem inſtituit Frāciſcum nepotem, Ducis Guyſij filium.

riorum malorum recordationem aures animósque vestros obduruisse sentio: Et ego non minimam inde sperem leuationem, si acerbitatis animi mei virus semel euomuero, colligam ipse me, vt potero: & quod adhuc tentare præ dolore datum non est, quódq; pluribus verbis & separatim perscribi oportuit, hac occasione breui percurram. Quatuor igitur quum haberet Guysius adolescentes Principes: secundum duas illas literarum & armorum virtutes eos dispertit. Dat Carolo fratri literis instituendos Ludouicum & Franciscum: Henricum verò natu maiorem & Carolum (illum hodie Guysiæ, alterum Cenomanorum Ducem) in vsum armorum retinet.

Historia vitæ & studiorũ D. à sancto Vrbano.

Iam inde Franciscus ex complexu Auiæ Ianniuilla, vbi ad annum sextum educatus est, Rhemos in Academiam & Collegium patritianum deducitur à Patruo Carolo: vti tanquam paruus Samuel ad pedes Heli Pontificis, cùm studiis & bonis moribus, tum instituto Ecclesiæ, cui desponsus est, excolatur. Quam ob causam, ætate & studiis progredientibus, Canonicus instituitur: iísque in omnibus, quibus minores solent, Ecclesiasticis officiis continetur: nisi quòd in choro cum hypodiaconis sedet. quod ei principatus ergô vltro delatum est. Vnà cum sacerdotibus in templo psallit voce valde leni & canora, quæque aliquantum etiam supra cæteras exauditur. Idem in celebrioribus festis (quod Carolum illum magnum facere, suósque Principes exemplo

Franciscus successor Caroli in Academia Rhemen. instituitur.

1. Reg. 2.

Idem tanquam paruus Samuel in templo ministrat.

exemplo vt idem suo facerent inducere minimè puduit) lectiones sacras cùm in matutinis, tum vespertinis precibus, clara voce, adhibito cantus vocísque flexu, coram recitat. Quid dicam iisdem diebus, solenni cum apparatu sacra facienti Pontifici patruo, ad altare seruire? Eundem, exemplo Samuëlis adhuc pueri, accinctum lineo, omníque amictu sacrifico splendidum, vultus dignitate & gratia propè angeli æquantem pulchritudinem ante faciem Domini solitum ministrare? Is enim præter eximiam in hac puerili teneritate & mollitie pulchritudinem, præ se fert, nescio quam, vultu & voce insitam in animo mirificam virtutis indolem, mirabiles sui amores excitantem humanitatem, verecundiam, atque modestiam. Iam verò vt in ratione institutionis docetur sedulò & facilè: ita discit ille perlibenter, sicut is, qui ad literas ita est habilis, vt ad eas singulari Dei beneficio fictus videatur. Non ego vobis, non Rhemensibus, non doctissimis viris, qui illius ergò salutandi, videndi, & audiēdi vel sua spōte, vel à Carolo missi venerūt, ignota loquor. Scribendi studium quæritur? non ille lineas exarat distortè, non literarum inæquabili magnitudine, non versuū impari intercapedine, non etiam imperitè: sed æqualiter, scitè, scelerriméque cùm Gallico, tum Italico stylo Latinè pingit. Et verò etiam Græcè tam venustè, additis literarum compendiis, vt ex typographorū officina pro-

Studia Frācisci successoris.

fectam paginam dubites. Vt interim taceam, quātò rerum ſpecies formáſque pingendi ſtudio teneatur: quum id nō ineptè faciat. Muſices perſtudioſus eſt: cuius numeros, voces & modos ſic tenet, vt ſolus ipſe & cum aliis cùm voce, tum lyra, & aduerſum vtraque manu pulſato organo (quod ſpinetā vocāt) cantet, & cithara nonnihil vtatur. Sin quomodo ſe in ſcholis gerat, quātum proficiat, exquiratur: repe-riemus eum totum, exēplo patrui, ad leges gymna-ſij, in quo educatur & eruditur, compoſitum. Audi-torium ingreditur ad ſonitū tintinnabuli: vbi pro-poſita ſibi ad ediſcēdum, ad imitandum & ſcriben-dum, reddit memoriter, refértque ad emendationē. Cum æqualibus diſputat & confert de ſtudiis. Dato dimiſſionis ſigno egreditur ad prādium: vnde non-nunquam, præcipuè ſabbathis, in aulam præcepto-rum coràm recitaturus, quæ de poëta & oratore tota hebdomada prælecta ſunt, proficiſcitur. Vbi magnum ille omnino & domeſticum diligentis & bene morati diſcipuli exemplar, quod à Patruo ac-ceperat, reddit viciſſim: & excipiunt, qui eò ex more inſtitutóque Collegij actionis huius ergô conuenire ſolent diſcipuli, & accenduntur ad ſtudia vehe-mentius. Tantùm boni eſt, aliquem bene ſtudere principem: quātùm illud, quòd plures ſunt Princi-pum in vtrāque partē imitatores! Sic natus, ſic edo-ctus, ſeipſo quotidie melior ſuperiórque efficitur. Latinum primùm familiarem ſermonem ipſe per ſe

exarat

exarat in Epiſtola: nec id ex vſu modò, ſed ex artis præceptis: adeò, vt ne orationis pars vlla ſit, cuius connexionis rationem non reddat. Tam ſolida ſunt ab eo huius ſtudij iacta fundamenta! Sic porrò linguam ad loquendum exercet, vt Latini ſermonis vſus apud illum perpetuus ſit, non cum domeſticis modò ſed externis, quicunque togati veniant, omnibus. Ex qua conſuetudine eam ſibi facultatem loquendi comparat, vt quacunque de re ad colloquiũ ab eo, qui occurrerit, propoſita vltro citróque interrogando & reſpõdendo colloquatur, commentetur, hiſtoriam enarret oratione continẽti: denique vt ęqualium nullus toto Collegio promptiùs, nemo melius Latinè loqui putetur. In poëtis ita verſatus, vt ipſe poëma fingat. Hiſtoriarum lectione plurimùm afficitur: ex quibus locos communes colligit, quibus velut ex repoſito Theſauro depromptis vbilibet pro argumenti ratione, dum componit, vtatur. Rhetorum etiam ad bene dicendum præceptis ſic inſtructus: propoſitam vt cauſam in quolibet trium generum delectis verbis & ſententiis non rarò egerit, nec inconditè. In Græcis item ſatis admodum eſt litteraturæ. Iudicium autem eiuſmodi, vt de pręcoci maturitate potiùs timeatur: quippe tantum, quantum ad res magnas gerẽdas ſeni ſatis ſit optare. His prioribus ad humanitatem pertinentibus ſtudiis ſubnixus, de obeunda ad finem illius anni, quo ad primum Grammaticorum ordinem tranſiit, ſuo

& condiſcipulorum nomine ad eos, qui gymnaſio præſunt, legatione cogitat. Non quò ſcholaſticæ ſubiectionis iugo, quod ei leuiſſimum eſt, ſoluatur: ſed Grammaticorum & Rhetorum perfunctus laboribus ad Dialecticorum ſcholam vt prouehatur. Quod munus, habita coram ſingulis Academiæ foríque iudicialis ordinibus, ea canonicorum, doctorúmque aliorum virorum celebritate, quam rei nouitas & iam de eius ſtudiis peruagata fama eò compulerat, oratione, tam aptè pro ætate plenéque explet: vt vir lectiſſimus & ordinis ſui primarius præ gaudio lachrimas non teneat: omnes autem, velut aliquo ſydere ſtupefacti & attoniti hæreant, & mirentur ſupra ætatis fidem adoleſcentis Principis ſtudia. Sperent porrò eum ad magni Caroli patrui literarum & benè dicendi laudem aliquando peruenturum. Ecquis verò dubitet, quid ille ætate & ſtudiis maturus perfecturus ſit, qui puer & in ipſo ſtudiorum aditu tantùm profecerit? Quum verò id Rhemenſibus placet: tum illi omnia Carolo fœlicia precari & bona dicere, qui nepotem habeat tali prȩditum ingenio: ſibi verò inter ſe ſuas gratulari & laudare fortunas, qui tantum habeant paſtorem: & videāt magnis ad eius virtutes, ad omnia ſumma, paſſibus contendentem ſucceſſorem. Atque hòc ampliùs, qùòd eū agnoſcant religioſum veréque pium: adoleſcentem illum quidem, non tamen elatum leuitate, ſed in adoleſcenti corpore ſenilem animum præferen-

Frācisci designati successoris oratio habita publicè in Academia.

præferentem, temperantem, benignum, placidum: non equis, nō venationi deditū, nullo generis ſplendore, ſed vnica modò virtute & ſtudiis confidentē. Quæ cùm ad Carolum & literis ſuorum & omnium ſermone perferuntur: imò quum ipſe coram has in eo videt virtutes, quo illum exultare gaudio, qua lætitiæ voluptate cumulari credimus: reputantem ſe, Eccleſiæ & ſuæ familiæ certiſſimum columen, hæredem ſtudiorum, virtutis & gloriæ, rerum à ſe cùm Rhemis, tum alibi inſtitutarum nō deſertorem, ſed conſeruatorem, ſed rectorem, ſed amplificatorem poſt ſe relicturum? Tanta mehercule, vt (quod de eo eſt auditum) prouideat diligenter, & accuratè caueat, ne certum aliquod ſignum excidat, quo ei ſuū hactenus benè celatum atque diſſimulatum amorē indicet. Quid pluribus moror? Egomet, qui, quòd illi viuendi & dicendi domeſticus ſum præceptor, eius ingeniū & mores certiùs agnoſco, ad hæc quotidiana virtutum & ſtudiorum incrementa & maiorum expectationem clariſſimam, illius amore propè inſanio. Ecce verò dum is animorum vtrinque viget ardor: corripitur tertiana febre duplici tātæ ſpei Princeps: qua decimo pòſt die cum plurimæ puræ vitellinæ bilis ſpontanea per os effuſione liberatur. Aſt ſub decimā horā inſequētis noctis naturæ deorſum conuerſo motu, ea tandē in tenue inteſtinū deuoluta eſt & refuſa. Quæ vbi in ea ſede coercita ſupprimitur: accidit, vt aucto humoris incendio & cō- Frāciſci ſucceſſoris morbus & obitus.

cepta maiore vi putredinis, oborta ſit partis inflammatio ad gangrænam deuergens, quæ hoc ipſum inteſtinum & renum alterum adurit, tanto cum dolore continenter latera lancinãdo, vt, quales parientium ſunt, clamores & gemitus excitet: nec ſomnũ ſolùm adiuuat, ſed vigilare etiam ſine ſummo cruciatu minimè patiatur. Medicus interea adhibitis, quæ conſentanea putat, ſed nihil proficientibus, animo vehemẽter commotus & conſternatus: Veh arti, inquit, & mihi artis miniſtro, cuius à Domino tenentur & perſtringuntur oculi, ne morbum hunc agnoſcam. Poſtridiè Carolus (nam is ſex antè dies Rhemos opportunè venerat) ſuum quoque medicum adhibet: quibuſcum nec ipſe doloris vllam leuationem, nullam mitigationem inuenit. Quin ingraueſcente morbo ſub noctem ſtatuunt opij potionem: vt conſopitis & oppreſſis ſtupore ſenſibus, vis morbi minus ſentiretur. Sed antè ſub octauam dum recitat, quas aſſolet, preces, & peruenit ad generalem exomologeſim: admonitus inſiſtit, & confeſſionis verba concipit ſub propoſito & voluntate per ſacramentalem abſolutionem expiandorum, quorum conſcius eſſet, peccatorum. Confeſſus dormitat: cæterùm per ſomnum toto ſe lecto iactat & muſſitat continenter, imperfecta & retenta dolore verba, nec admodũ intellecta, confusè fundens. Roganti medico, quid ita ſe excruciaret: Ego, inquit, (confeſſionis nimirum memor) confeci

Sacramenti pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſignificatio admirabilis in adoleſcente principe.

faſci-

faſciculum omnis antè actæ vitæ, quem ego Deo ad remiſſionem offerebam. Tum aliquantò pòſt eadé iteranti medico: Plurimùm laborabá, inquit. Nam tres habebá hoſtias, quas omnes modò Deo offerre, modò vnam mihi retinere volebam. Is ſæpe & valde religioſè ad hoc recipiendum ſacramentum conueniebat: nec ita multò antè communicauerat. Idem iterum in ſomnis: Ego ſi hinc abiero, ſaltem reliquero quatuor mei amantiſſimos: D. Cardinalem, D. Auiam, D. à ſancto Petro, & optimum meum Præceptorem Bocherium. Hei miſero mihi, quantus tum, & quàm altè infixus hæſit animo meo dolor! Nec dum tamé de ſalute illius deſpero. Sub crepuſculum diei aliquátò placidiùs dormit: & expergefactus, poſtquá de Deo & Chriſto ſeruatore pauca audiuit, preces ex more recitat, conceptis iterum (vt ſuperiùs) confeſſionis verbis. Manè venit Carolus, agit cum medicis: & nunc demum conuenit inter eos, illum è renibus laborare: quamobrem venæ ad pedem ſectione certiſſimè poſſe curari. At ægri conſultæ vires infirmiores, quàm ſectionem ferant, reperiuntur. Cibus affertur: quem ipſemet Carolo miniſtrante non faſtidit, & liberaliter ſatis veſcitur. Vox illi bona & conſtans: qua etiam nominatim medicos compellat, ſe nimirum illis plus ſatis curæ & laboris afferre, ſed huius poſthac, vbi quid eſſet, fore non immemorem. Poſt cibum ſomnum repetit. Quamobrem ita diſcedunt,

Carolus ipſemet Franciſco nominato ſucceſſori ſuo poſtremum cibum miniſtrat.

quaſi ereptum iam recuperaſſent: ſub decimam, reparatis ſcilicet ægri viribus, ad ſectionem reuerſuri. In templum ad orationem proficiſcens Carolus, iubet me ſolum cum duobus nobilibus viris aſtare dormienti: & videre, ne quis ingrediatur, ne quis quid quod ex ſomno excitet, moliatur: néve lecti periſtromata, ante reditum, diducantur. Sed antè ad nonam reuerſus medicus ſomnum, mortis vt nuntiat, adhibetur oleum ſacrum: quo poſtquam perunctus eſt, ſub decimam eius diei matutinam, ætatis ſuæ anno 14. cum nouem menſibus & 24. diebus, Octob. 24. 1573. Rhemis in Collegio Patritiano, ſine horrore (quo cum adoleſcentibus vis vitam auferre ſolet) ſed in mortem quietè compoſitus, conuerſis in cœlum oculis extremum vitæ ſpiritum edit. Cor in choro D. Petri ad ſacras virgines, iuxta gradus, ad quos illæ Euchariſtiæ communionis ergô conueniunt, humatum. Corpus autem in eo, in quo ipſe Patruum conditurus erat, ſepulchro, à Patruo magna populi frequētia, maiore luctu conditum. Continui me hactenus, Aud. &, quod me poſſe diffidebam, cohibui vim impetúmque doloris mei: quoad per eum mihi liceret apud vos memorabilem deſignati ſucceſſoris Caroli efflorescentem virtutem & vitæ exitum bona fide referre. At nūc eueniſſe mihi video, quod è morbo recreatis ſolet: vt relapſi grauiùs affligentur, & ægrotent periculoſiùs. Nam qui paulatim & in annum

Bocherij queſtus in morte Franciſci deſignati Archiepiſc. Rhemenſis.

in annum alterum progrediens aliquantùm extenuabatur, ſentio dolorem auctum retractando & commemorando factum grauiorem: adeò vt ei, ne erumpat, vix reſiſtam. Ego quum tot annos in tractanda philoſophia, in cognoſcendis, iiſque exercendis ſacræ Theologiæ ſtudiis, tantos labores & vigilias ſuſtinuiſſem. Indéque ad huius Principis inſtitutionem à Carolo euocatus, quum omnia quæ ſuſcepiſſem hactenus ſingulari Dei beneficio mihi fauſtè fœlicitérque eueniſſent: Hunc ego tandem pro ſperata animi tranquillitate luctum, pro ſuaui præteritorũ laborũ recordatione, faſtidium odiũq; fortunarũ mearũ, mihi ad extremũ accipiendum ferendúmque vnquã putaſſem? Quum perpetuis ætas perfuncta laboribus ad otiũ liberalius inclinaret: ad portum non inertiæ, non deſidiæ, ſed ſtudij moderatioris confugeret, quum vigiliarum fructũ, quem propè mihi conſtare videbam, collecturus eſſem, quum is mihi annus primus eſſet, quo rude donandus eram, quo è ſcholis omnino dimittendus, quo mihi ad optatam inſtitutę meę profeſſionis in vſum Eccleſiæ exercitationem illuſtris aditus & campus ampliſſimus aperiretur: eum ipſum annum omnes meas cogitationes, omnia meditata vitæ conſilia, ſine vlla aut tardiſſima ſpe ad ea reuertẽdi euertiſſe? Eundem antiquo me ludo rurſus incluſiſſe? A calce ad carceres reieciſſe? O ſpes fallaces & inanes cogitationes meæ! ô fruſtra ſuſcepti mei labores! ô

dura & acerba mihi vitæ ſcholaſticæ tēpora! Quem diligētiæ induſtriæque, quantacunque eſt in docēdo meæ teſtem, & ſpecimen relicturus eram: in quo inſtituendo omnes naturæ & ingenij virtutes, omnes conſilij & artis neruos ſumma cum voluptate intenderam: eius vt ego ſpiritum extremum exceperim? Ei vt ego in mortis ſomnum lumina clauſerim? Ah quantus hîc, & quàm cruentus doloris gladius cor effodit meum, animam pertranſit meam! Quid? Quum ei nullo vt loco deeſſem, ad officium verò ſemper vt adeſſem, ab omni amicorum congreſſu & conſuetudine me planè ſubduxiſſem: eiuraſſémque opimum, & in quo aqua ſalutari tinctus ſum, ſacerdotium. Quum omnia reliquiſſem, vt eius ſtudiis, valetudini, commodis omnibus liberiùs ſeruirem. Quum noctes & dies ex ore vultúque illius penderem, nūquam ab eo pedem diſcederem: omnia quæ accidere poſſent, incommoda ſollicitè prouiderem. Quum eius animi curſum & impetum fręno potiùs comprimerem, quando languentem calcaribus vt commouerem, neceſſe non habebam. Quum diſpertita prandij, cœnæ, ſomni, ludi, ſtudiorum tempora præciſè obſeruarē. Quum eſſet omnis eius diſciplina & educatio nō domeſticis, non medico ſolùm, ſed ſereniſſimæ amitæ Principi, quæ eadem in vrbe proximè habitaret, ſed Carolo perſpectiſſima, eadémque probatiſſima: Hunc tamen in ipſo propè adoleſcentiæ flore, in amplexu

Caroli, contra omnem humanæ induſtriæ prudentiam, tam ſubitò ereptum videre? miſerum me & infœlicem! quàm luctuoſum, quàm miſerabile, quàm propria morte effugiendum ſpectaculum! O ingẽtem diuini numinis vim & incitatum iræ cœleſtis ardorem! Quid enim hîc, niſi digitus Dei eſt, qui frugum incrementa celeriùs ſæpe promouet: quò vel modica occupatæ pruina repentè concidant: vel maturitatem, vt aſſequantur, ſi dederit: nonnunquam hæc antè tempus, quò earum ſuccus ad animantium ſalutem minùs ſit diuturnus: qui ſummã agrorum vbertatem & opportuno maturam tempore aliquando nobis oſtendit, ſed in vindictam malorum vniuerſam ſubito aliquo ſydere populatur? Cuius, inquam hoc opus, prætcrquam eius, qui magnã ſæpe indolem virtutis, antequã Reipub. prodeſſe poſſit, vel quia dignus ea non eſt mundus, néue eius intellectum immutet hominum peruerſitas, nonnunquam etiam in ipſo ætatis flore extinguit! Vtinam verò Deus optime maxime cum pauperculis in Seminario diſcipulis (ſed enim pacem primùm & veniam abs te peto: vereor enim ne ſceleratè dicam in te, quod meus pro me dolor cogit dicere) atque iterum vtinam me in iſtius agelli & viticulæ cultura, in iis laboribus, in quibus me plurimis à iuuentute exercuiſti, potiùs continuiſſes, quàm vt de terra inopem ſuſcitatum, ereptum de ſtercore, cum Principibus populi tui ſedere feciſſes, quàm

Apoſtrophe ad Deum.

vt hoc honore decoratum repentè ſic præcipitaſſes, vt ex eo, tanquam arbore deiecta, vel etiam amici ligna colligerent. Ecquid verò tum aliud afflicto mihi & miſero veniſſet in mentẽ apud te queri & expoſtulare (quod etiã cum ingenti vi lachrimarum, in ipſo eius mortis puncto, occurrit) quàm vt cum Dauide prorumperẽ in hæc verba? Ærumnoſus ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea: Exaltatus autem humiliatus ſum & conturbatus. In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Hîc ſi pœnas ab Eccleſia tua ob aliquod delictum expetiueris, nunc placatus, vel etiam ſatiatus aliquando, hunc (quæſo) pro Franciſco tibi conſecratæ nouæ prolis inſtituendæ repetitũ ab integro curſum exitu meliore conclude. Verumenimuerò in multis & vndique circunfuſis moleſtiis cogitationibúſque meis, vna mihi ex officij conſcientia petita conſolatio ſemper occurrit: quòd tibi, ô Domine mi Franciſce, nunc etiã, quòd in æternas illas beatorum ſedes corpore & animo integer & innocens raptus ſis, ſanctiſſime: hæc, inquam, in grauiſſimis meis doloribus vna me conſolatio ſuſtentat, quòd à me tibi nulla officij, nulla ſtudij vel pietatis religio defuerit: ſed ita tibi ſeruierim, vt omni officio erga te meo clariſſimis Principibus parentibus abundè, mihi verò ipſi ſatis nunquã fecerim. Nam ego quòd ad ſupremã illam inuictiſſimi Ducis patris tui orationem, in qua pro liberis præceptores, quales optabat

Pſal. 87.

Apoſtrophe ad Franciſcum.

bat

bat, postularet, me tibi datum semper credidissem, quòd ingenij tui gloria studiísque delectatus, magna tua ad virtutem indole allectus, probitate mansuetudinéque morum captus, te non vt animæ dimidium, sed vt totum meæ diligerem: quòd summam ego de animo virtutéque tua expectationem in Ecclesia Dei concepissem, tibi tanquam angelo Dei, cum omni rectæ voluntatis cõscientia seruiui: eúmque, qui in te educando negligens fuisset, inexpiabili Ecclesiæ damno obstrictum iudicaui. Quò est ista magis vera tua de meo erga te amore opinio, quam ipse moriens mihi testatam ex verbis tuis illustrémque reliquisti. Ad quam quum mihi tum respondendi præ mœrore & animi angustia, tibi præ dolore audiendi facultas esset erepta: nunc demum tibi cõfirmo hoc vnum meo erga te amori defuisse: quòd interuentu tui discessus è vita impeditus sim, quò minùs eò te, quò spes & indoles ferebant, deduxerim. Atque hoc nomine vitam, quæ mihi qualiscunq; post digressum tuũ relicta est, acerbissimã putare. Hinc illa lachrymarũ vis, hinc quotidiana mea desideria, hinc suspiria: quæ non aliud, quàm mors, adimet mihi. Illud verò si minùs sim adeptus: hoc alterum, omnibus vt in rebus tibi fideliter seruierim, tibi sanctè & syncerè bonis vt in rebus placuerim, me esse consequutum. Quamobrem peto à te per illam meorum erga te officiorum gratam recordationẽ, quam hinc extulisti: per labores meos,

per singularem tuam erga me voluntatem, & meam vtique erga te officiosissimam, non aliud, nisi vt ab eo, ad quem raptus es, bonorum omnium largitore pro caducis, quibus me ornare statueras, æterna per eum multomagis, quem inculcaui, Iesum Christũ, velis impetrare. Sed iam ad Carolum reuertor, qui quamuis ex immatura Nepotis morte dolorem vel acerbissimum in vita hausisset, eam tamen pro sua incredibili ac propè diuina in aduersis animi magnitudine mihi consolationẽ adhibuit, sic afflictum erexit: vt ei vitam, quam omnes procedẽte doloris acerbitate mihi non longam augurabãtur, debeam. Sciebat me sua etiã causa grauiter mœrere & angi: quamobrem humanissimè hortatus est, ne hoc etiã ego nomine laborarem. Quo loco probè memini dixisse, multa se à Deo optata consequutum: sed hoc vnum vel maximè, quod in tam multis & grauissimis casibus, in quibus ab eo vehementer exercitus fuisset, fecisset cum tentatione prouentum: quippe singulari eius gratia & diuturna consuetudine malorum, callum stomacho (vt iisdem, quibus ille, verbis vtar) obductum suo: & se ex præteritorum tolerantia, præsens incommodum fortiori animo ferre. Eo tempore Regi Polono, nunc etiam Gallo, in Poloniam iter erat: quem hâc transeuntem ad fines vsque regni sequutus est. Quo in itinere serenissimo principi Domino meo Carolo Lotharingo, quem præsentem intuemur, posita chlamide

A studiis & obitu Francisci designati successoris Caroli ad Carolum ipsum reditus.

Caroli constãtia in aduersis.

2. Cor. 10.

D. Carolo, filio D. D. à Lotharingia & Regis nepoti habitũ scholasticum dat.

(quod

(quod ei & Ecclesię faustum fœlixque fuerit) togam habitúmque scholasticum dedit: inde in regiam ad Germanum castrum reuersus, in eas iterum insidiarum angustias incidit, vt intempesta nocte Lutetiā fugere coactus sit. Ad Paschalia Rhemos profectus ex more, sub id tempus in Lotharingiam iterum & postremùm venit. Vbi de ædificando Mussipontano Gymnasio cum Architectis egit, déque toto DD. Caroli Lotharingi & Caroli Vademontani nepotum scholasticorum domesticæ rei statu & habitatione, illustri sanè & studiis aptissima, constituit: quam ipse propria manu descriptam in charta, & domesticorum seruorū distinctam mansionibus (quasi fuisset eis anteambulo designator hospitiorum) reliquit. Adeò negotium hoc libenter studioséque tractabat, & erat de hoc collocando nouæ familiæ statu sollicitus! Fuit hæc matura festinatio & ardor animi serenissimorum Principum studiis & Academiæ valde salutaris. Nam tertio, quàm huc deducti sunt, & studiorum status fixus atque fundatus est, mense, Carolus fundator vita defunctus est. Qui casus antea si interuenisset, incertū si posthumus exisset fœtus, si horum quicquā vnquam fuisset perfectum. Cæterùm hinc rursus & itidem vltimùm Rhemos ad Pentecosten redit. Vbi de morte Caroli Regis vt audiuit, proxima sequenti Dominica in concionem ascendit, vltimam earum, quas habuit in Ecclesia Rhemensi. In qua illum elegantissima

De Collegij Mussipontani ædificatione & D. nepotū habitatione agit.

Funebrem Regis Caroli concionē habet.

funebri oratione laudauit. Cuius argumentum fuit psalmus 128. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israël. In cuius explicatione cùm versaretur, varios Ecclesiæ, Regni, Regísque labores ad summam misericordiam & spem meliorum propriè admodum accommodatéque perorauit. Nam sub hoc rege, adhuc puero, hæretici ore martéque aperto doctrinam armáque sua mouerũt, promouerũt: & adultum toto, quo regnauit tempore, ad summam Ecclesiæ regníque calamitatem variis incommodis & difficultatibus vexarunt. Huius futuræ afflictionis non leuem cõiecturam iam ex ipsa regis inauguratione datam, memini à Carolo in ea concione audiuisse. Eum enim, quum illas regum solennes infulas suscepisset, illachrimasse: rogatum quid ploraret, respondisse: impositum capiti diadema esse sibi graue & molestum, idémque præ põdere caput supra modum onerare. Fuerint verò imbecillitatis viriũ lachrimæ (nam is duodecimo ætatis anno vnctus est) tamen vt gemitus, quem nascentes edimus ignari futuri, miseriarum, quibus abundat hæc vita, nuntius est: sic istam pueri regis querimoniam, malorum, quibus maximis & plurimis eo regnante regnum affectum est, & difficultatum, quas ipse postea pertulit, augurium dedisse paret. Cæterùm inde Lutetiam profectus illum ad Sandionysium in maiorum suorum sepulchro humauit. Quibus exequiarum celebratis solennibus, iuit Lugdu-

Concionis argumentũ.

Carolus IX Rex infulas regni suscipiens plorat.

Lugdunum obuiam ex Polonia in Galliam reuertenti Henrico, defuncti Regis fratri: ad quem proximitatis iure regnum delatum. Quò vt conuenere, primùm omnium ſedulò capiuntur de reipub. negotiis conſilia. Regis reditus hæreticorum animos haud parum remiſerat & eorum fregerat conatus: bonorum autem omnium deſiderium ad ſpem eximiam recipiendarum vrbium, quas apud Allobroges, in Gallia Narbonenſi, Aquitania hæretici & perduelles armis & præſidiis occupant, omninóque ad ſpem recuperandæ dignitatis cùm regni, tum Eccleſiæ erexerat. Et ſimul ad eam rem conficiendam aperuerat ampliſſimam occaſionem: ſi quis oblatam tenere, atque optimis eam conſiliis & rationibus promouendo eò, quò ferebat, perducere potuiſſet. Carolus interea ſic in eam curam incumbit, nullum vt ſibi nec ad cibum, nec ſomnum tempus remittat: ſe vt minimè reſpiciat. Ita mirabili recuperandæ reipub. deſiderio exarſerat. Id autem primùm ſapienter facere inſtituit. Nam inueteratã illam & funeſtam Eccleſiæ peſtem Simoniam, ſacrilegas ſacerdotiorum prenſationes Eccleſiam grauiter vexare: atque hinc primam noſtri mali labem, primam noſtrorum temporum perturbationem & cõfuſionem, aut omnino, aut multò maiore ex parte dimanaſſe, & in dies graſſari vehemẽtiùs quum cõpertum haberet: Regem admonet, ſi vllam rerum reſtituendarũ vellet inire rationem, ab illa primùm

Lugdunum obuiã proficiſcitur Regi ex Polonia reuertenti.

Caroli ſtudium in reſtituẽdo regni ſtatu, & eiuſdem cõſilia.

Simoniam ab Eccleſia primùm arcẽdam monet.

depellenda esse inchoandum. Siquidem etiam ipse se molestissimis & assiduis militum, ne dicam mulierum, Episcopatus & Abbatias ambientium occursationibus se liberatum vellet. Cùm verò id Regi placet propositum, tum is authore Carolo init cōsilium nouum in Gallia equitum ordinē instituendi (si modò accessisset summi Pontificis consensus) nouásque, quas Commēdas vocant, fiduciarias ex Ecclesiæ bonis erigendi pensiones, sub titulo Equitum sanctissimæ Passionis Domini nostri Iesu Christi: quæ solis ex Gallia nobilibus viris, qui in eum ordinem cooptati essent, cōferrentur. Sanctum omnino per se & consultissimis viris, lectissimis Ecclesiæ doctoribus, quos antè Carolus adhibuerat, vno omnium ore probatum institutum. Ad quod maturandum atque perficiēdum omnes boni studium, operam, diligentiam, laborem conferre debeant. Quod si vti faustè fœlicitérque cœptum est, ita promoueatur & perficiatur: hoc prouideo quasi gradū quendam atque aditum ad benè sperandum cùm de sacrosancti Concilij Tridentini promulgatione, tum bonorum in Ecclesia multorum accessione & impendentium declinatione malorum: quæ nisi sic prouideantur, vereor, ne Ecclesiam & Ecclesiasticos pessundent. Nam & viam hoc quoque aperit ad arcendum illud ignauum pecus à præsepibus Ecclesiæ, ad recuperandam canonicam Episcopatuum, Abbatiarum & sacerdotiorum omnium

Consilium salutare de erigendis equitibus S. Pass. Iesu Christi.

Ratio recuperandæ canonicæ nominationis beneficiorū Ecclesiasticorū à Rege.

omnium nominationẽ, & legitimã, plenam atque integram eorumdem administrationem: vt ea, quibus ex iure debentur conferantur, & possidentes vtantur salutariter. Nec esset postea, propter quod Rex importunissimis hominum quorumdam prensationibus & precibus victus, ignauissimos illos fucos Ecclesiæ messem, cuius sementem non fecerunt, aucupãtes, nominaret. Iam cogitatè meditata sunt & commodè prouisa media, quibus illæ fiduciariæ perpetuæ pensiones ex subsidiariis illis quæ à temporibus magni Regis Francisci quotannis fisco pensitantur, conficiantur: nil interim alienato ex fundi proprietatísque iure & dominio. Iam ordinis illius conscriptæ leges & statuta: quibus nil sanctius, nil ad Ecclesiam Dei tuendam salubrius à quoquam fingi aut excogitari potest. Accedit, quòd idem pro ingenij & consilij, qua præstabat, abundantia, meditatas, & iam in commẽtariis descriptas habebat rationes, quarum exemplo regni tres ordines sic sapienter instruebantur, componebantur concinnè & astruebantur honorificè: vt inde ciuilium bellorum incendium non sopitum ad tempus, vt maius postea suscitaretur (quale nobis iterum & sæpius datæ & ereptæ pacis fœdera fouerunt) sed in perpetuum restinctum, & interclusas semel hæreticis coitionibus & factionibus vias breui visuri fuissemus. Atque hæc ab Ecclesia repellendæ & excutiendæ Simoniæ via quum vel vnica, vel expeditis-

ſima reperiatur: tamen cùm nonnullis valdè diſplicet: vel quòd ipſi vereantur, ne quid eis de priuata re decedat, vel vſu rerum parum periti cauſæ meritum dignitatémque penitus introſpicere & impendẽtes Eccleſiæ caſus prouidere non poſſint: tum illi Caroli factum improbiſſimè calumniari: & eius non ſolùm ingenij conſiliíque laudibus obtrectare, ſed de eius etiam animi conſcientia malè ſuſpicari. Regem hoc vno authore & conſiliario iam antea ingentes ab Eccleſia pecunias exegiſſe: nec ceſſare, quoad illã bonis omnibus exhauſerit. At ſic eſt quorũdam hominum ingenium: aliorũ vt facta ſpectare ſolùm & reprehẽdere, ipſi verò per ſe nihil vt queãt præſtare: communibus periculis vt non ſuccurrant, & occurrentibus vt obſtrepant. At vereor ne ſuo ipſi poſtea grauiſſimo incommodo diſcant, quantùm ſit bono reſiſtere faciliùs, quàm illud ipſum facere: néve ad diem ſe comparent, quo poſtquam quæ Nacta reliquerat, Pauſa eripuerit, furor eis ſit poſt omnia naulum ideo perdidiſſe, quòd fideliſſimis olim atque integerrimis clariſſimi in Eccleſia ſenatoris conſiliis non paruerint. Denique ne cum lachrimis deſiderent & ſuſpirent ademptum, cuius dum viueret dignitatem integritatémque conſcientiæ parum coluerunt. Atque vt de bonorum Eccleſiaſticorum alienatione & venditione, quam illi immeritò exprobrant, quòd res eſt dicam: Ille pro bellorum ciuilium, quæ tum Regnũ grauiter vexabant

Caroli conſilium de inſtituẽdo hoc equitum ordine imprudẽtes calumniantur.

Bonorũ Eccleſiaſticorũ alienatio, Carolo vt probrum iniuſtè obiecta.

bant, diſcrimine : pro facultatum, quibus omnibus tum fiſcus exhauſtus erat, inopia & neceſſitate, coactus quidem fuit cum aliquot ſecum delegatis collegis, in hac facienda diſtractione, temporibus ita poſtulantibus, ſubinde ſeruire. At in communibus colloquiis ſe eiuſmodi neceſſitatis acrem inimicum coràm ſemper profeſſus eſt, illíque ſe inuitum paruiſſe. Cæterùm quoad fieri potuit in eo negotio cauiſſe, vt minore cum Eccleſiæ detrimento & iniuria pareretur. Ex eóque tempore occaſionis captandæ vrgendǽque finem nullum feciſſe, ſi quæ tandem idonea ſe offerret ex hac ſalebra, ex hac iniqua rerum & temporum emergendi conditione. Quod illi profectò nemo iuſtè exprobrarit, qui ſecum reputabit, quòd quemadmodum flumine excreſcente ſupra litora & redundāte, cùm plauſtra, crates, dolia, palos & eius generis omnia, vt aquæ impetum ſiſtamus, oppoſuerimus, nec cōtinuerimus tamen: tum domus etiam ſupellectilem omnem, lectos, ſtragulas, culcitras, periſtromata, veſtes, & quicquid occurrit ſine diſcrimine opponimus, vt reliqua domus incolumis ſeruetur. ſic in Repub. adminiſtrāda quū vrget neceſſitas, vt totum reipub. corpus ab occurrentibus incōmodis ſaluum & integrum maneat: multa facere coguntur Rectores, quæ aliàs ipſi nunquam. Quæ nonnulli, minimè perſpicientes rerum momenta ſingula, iniuſta iudicant: quum ea potiùs in meliorem partem interpretari, & tem-

porum iniuriis atque difficultatibus ea aſcribere potiùs, quàm ipſis rectoribus, deberent. Sed hæc fuit illi cum multis de Repub. benè meritis clariſſimis viris laborum merces & periculorum: vt à quibus gratiam ſuo iure repeterent, ab iis atrocibus verborum contumeliis, omníque inuidiæ obtrectatione lacerentur. Illud verò acerbiſſimum: quòd ex his, quos ipſe ad honores extuliſſet, qui eius fuiſſent beneficiis ornati, quidam non ab eo modò defecerint, ſed in his etiam ciuilium bellorum temporibus ſit ab eis vexatus & afflictus. Qua ego illum de re priuatim aliquando cum ſuis (vt fit) cõquerentem audiui: & commemorantem hanc ſuæ familiæ ſortem fuiſſe, nil vt grauius paſſa ſit, quàm ab eiuſmodi ingratorum hominum indignis bonorũ gratia & amicitia ingeniis. Quem verò hæc tam præclara tot laborum, valetudinis incommodorum, vitæ periculorum merces à capeſſenda Repub. non deterreat? Quid enim profuerit communibus te humanæ vitæ voluptatibus abdicaſſe, non ſomno, non valetudini peperciſſe, vitæ detrimentum contempſiſſe, prænaturum ſenium mortémque, ſicut ille fortaſſe, acerſiiſſe? An vt plurimorum in te tandem odium inuidiámque concitares? Hic tamen nullius ſibi malè cõſcius, & apud eiuſmodi homines culpa palleſcere neſcius, tanquam murus aheneus ſtetit: & partam virtute inuidiam, non inuidiam iudicans, ea malorum in audiendo patientia contra eiuſmodi iniurias animum

Carolus etiã ab his quos ornaſſet vexatus.

Inuidia malorũ bonos ſæpè deterret à capeſſenda repub.

Carolus cõtra malorũ calumnias murus aheneus.

animum iamdudum cõfirmarat: vt in constituenda regni & Ecclesiæ tranquillitate nihilò remissior fuerit. Nam officij erga Rempub. sui optimorúmque consiliorum conscientiam, qua se sustentabat, sibi pluris esse dicere solebat, quàm omnes, qui de illo circumferri possent, sermones. Idque sibi amplissimum præmium esse, quòd ex eorum numero censeretur, qui propter iustitiam patiuntur: nec ab alio mercedem expectant, quàm ab eo, qui sine affectu, sine ira, sine odio, de interna humanarum actionum iustitia & æquitate iudicat. Quamobrem sibi curæ nunquam fuisse, placere cuiquam, quàm quantùm argumentorum vis rectáque ratio & virtus suaderet. Si (vt nunc est hominum vita procliuis ad omnem, quam acceperit offensionis vltionem) voluisset se de inimicis vindicare: poterat vtique pro ingenij rerúmque, quæ suppetebant, facultate. At Christianum se, vt nomine, sic opere, probare semper maluit: & in illo ipso, quod iamdudum propria manu conscripserat, testamento, superiores omnes iniurias Christo seruatori concedere. Si porrò hominũ de se sermonibus intendere: causæ satis supérque habebat, cur, quamuis acerbissimo reipub. tẽpore, quo illa suis, si vnquam antea, opus habebat consiliis, procul ab omnibus negotiis ad suos se recipiens, & securus de omnibus, quę vtramuis in partẽ reipub. accidere potuissent, fortunis inoffensum reliquæ vitæ curriculum in otio cum suis transmitteret

Matth. 5.

Caroli constãtia & animi magnitudo in ferẽdis pro Ecclesia & regno difficultatibus & calumniis.

potiùs, quàm in tot quotidie maleuolorum homi-
num vocũ & inuidiæ offensiones incurreret: quàm
accusationes, quas ei apud Regem & singulos ordi-
nes illi factitabant, perpetua in depellendo sollici-
tudine sustinere: quàm denique declinandis quas in
dies ei comparabant, insidiis continenter laborare.
At enim rumores ille non ponebat ante salutem.
Et doctrinæ Pauli (cuius denis ferè quibusque verbis
integram aliquã in concionibus habebat in ore sen-
tentiam) meminerat, præcipientis non esse in bene-
faciendo deficiendum. Tum per patientiam currẽ-
dum ad propositum certamen, & aspiciendum in
authorem fidei & consummatorem Iesum: qui pro-
posito sibi gaudio sustinuit mortem confusione cõ-
temptà. Siquidem omnes etiam, qui in Christo piè
viuere volunt, persecutionem patiuntur. His ille
scripturarum, quas ab infantia didicerat, præceptis
conformatus, & vtramque fortunam expertus, tulit
vt secundas res antea moderatè: sic commutatis in-
clinatísque temporibus, aduersas æquo & forti ani-
mo, atque in omni officio pietatéque erga Eccle-
siam & regnum, quoad vixit, perseuerauit. Idem
clarissimo Duci Guysio, magnis passibus patris
virtutes consequenti, & ad eandem gloriæ æterni-
tatem gradienti, cæterísque serenissimis nepoti-
bus perpetua & constanti voluntate faciendum vi-
uens moriénsque penitus inculcauit. Tum nullis
vt eiusmodi maleuolorum criminationibus deter-

reantur

[Margin notes: 2. Thess. 3. & ad Hebr. 12. — 2. Timot. 3. — Caroli salutaris admonitio ad serenissimos Principes Nepot. de constantia officiorũ in Regem & regnum ipsum.]

reantur: ſed contra omnes inuidiæ procellas, turbines, & tempeſtates officiorum innocentia, fide, animi magnitudine & conſtantia pectus, vt armis ad hoſtem oppugnandum, ſic ad domeſticas illas ferendas contentiones communirent. Volebat enim nullam eſſe offenſionem tantam: quæ, quo erga Regem & regnum deuincti tenentur, amoris, officij, fidei naturali nexu atque vinculo illos queat ſoluere. Quamobrem ad omnem offenſionem præ ſtomacho officium deſerere & abſiſtere, leuis & delicatiſſimi faſtidij hominis eſſe indicium: & eius, qui ad reip. tractanda negotia minimè ſit idoneus, fortem autem & magnanimum Regis ſeruum regníque aſſertorem ex vitæ perpetuitate, forti & inuicta vtriuſque defenſione æſtimari. His illos officiis, non malis artibus (vt ſæpè fit) Regum ſtudium & fauorē oportere demereri. Sin euenerit, vt boni eo apud Regem numero & gratia non ſint, nō eum obtineant locum, quem eorum in Rempub. officia beneficiáque poſtularent: cōmunem in eo Regum omnium commiſerari fortunam, quòd tum illis bonorum merita non conſtent, nec ea exploratè percepta ſatis habeant. Si meritis illorum fama nonnunquam malè reſpondeat: ſi lerneæ belluæ liuor vel trecentis linguis obſibilauerit & venenum afflauerit vndique, tum illud animi verè ſublimis & excelſi conſilium eſſe, nihilo ſegniùs publicum munus agere. Sed aduerſus hanc teterrimam peſtem, quæ

rectè factorum comes esse solet, non dicam herculeo robore, sed Christiana potiùs animi firmitate & patiẽtia niti ad sempiternam apud Deum mercedem. Iam ad sermones de numero diuitiarum possessionéq; plurium sacerdotiorũ venio: quibus illi Carolum in bonorum etiam odium rapere ab initio conati sunt. Quos vt reticendo subterfugere me nõ voluisse, ita nec illos apud vos obscurare velle dicendo velim existimetis: multóque minùs quorumdam in hac causa grauiter peccantium moribus suffragari. A summis ille Pontificibus amabatur, colebatur à Regibus. Illum vtrique, merito eius, amabant plurimùm. Ergo nõ eum beneficiis affecissent, quibus suum erga illum amorem ostenderent? & iis beneficiis ornassent, quæ eius essent aptissima dignitati, personæque splendore forent illustriora? Quæ non ille apud se sine vsu esset habiturus: non etiam illa priuato luxu effusurus: sed ea cum omnibus bonis ad vtilitatem Regni & Ecclesiæ cõmunicando ampliora splendidioráque facturus? Non ea in mulierum corruptelis: non in iis, quibus maximè astricti sunt, voluptatibus luxuriosè profundebat, non in ludis, non in alendis ad venationem canibus, non cicurandis & ad aucupium condocefaciendis auibus. Nam non aucupes, non venatores in constituto rei domesticæ statu inscripti reperiebantur. Non in expensi codicem factæ in cuiusquam similium cupiditatum luxuum impensæ superfluæ, &

De pluralitate beneficiorum Caroli.

iacturæ

iacturæ referebātur. Sed in pauperes cùm aliàs semper, tum illo acerbissimę famis grauissimo septennio eleemosinæ. Sed in quatuor mēdicantium ordines, & eorum generales celebrādos conuentus: in scholasticos cùm pueros, tum Theologos Bacchalaureos, & aliarum disciplinarum candidatos, annuæ pensiones. Hîc mihi obsecro aliquantùm consiste: & quoniam oculis tibi non contigit, animo finge te videre bis mille in ordinem digestos & velut ad conuiuium discumbentes pauperes: sicut ego ipse Rhemensiúmque complures non semel vidimus in illa amplissima apud sanctum Petrum ad Moniales interiore area. Et simul hunc ipsum amplissimum Principē cum religiosissima sorore Abbatissa, reiecto ad pectus supellicio, velut altera ad prandiū pauperū accincta & sollicita Martha, pascentē illos: & singulis quàm multi quámque lōgè producti essent ordines, cibū propria manu distribuentē. An nō hîc potiùs idē vt eius exēplo facias voluntatē cōceperis? Erat eius mensa primariis quibusque nobilibus, maximè literatis, nota & peruia. Erat nobilium domesticorum & seruorum familia frequēs. Atque hi in suo quique genere præstantes, suis singuli officiis egregiè fideles: liberalissimis si vlla in alia cuiusquam principis familia, stipendiis & statis quibusque temporibus solenniter numeratis, inscripti. Alij toto regno & extra magnis ab illo pensionibus ornati: à quibus vno ferè quoque mense literas à

Singulare Caroli in pauperes charitatis officium.

Caroli in seruos domesticos liberalitas, & seruorum in illum fidelitas.

quatuor orbis partibus de omnibus habebat: Quod ei ad res, quas pro Regno & Ecclesia gerebat, erat valde necessarium. Eò etiam plures illi fuerunt cliẽtes & assectatores, quò maiorem vim habebat ad conciliandas hominum voluntates celebrata communi bonorum & doctorum omnium sermone virtutis eius & eruditionis opinio. Tum illa eiusdem flexanima sermonis comitas: qua se ad cuiusque vitæ conditionem & mores accommodabat, qua fiebat omnibus omnia: cum suis ciuibus ciuis, cum doctoribus doctor, cum magistratibus & ipse magistratus, omnium vt animos ad se alliceret, studiáque & beneuolentiam sibi conciliaret. Tum verò ad suos ornandos propensa voluntas, & plurimæ rationes cùm in re priuata, tum ex ea, qua apud Reges semper plurimùm valuit, illustri gratia & authoritate singulari. Hinc illum alij nullius spe quæstus, nullius sui cõmodi causa, sed solo virtutum illius inuitati splendore colebant & obseruabant ex animo. Idémque se quum natos illius tempore gratularentur, ei vltro adiungebantur, & suis illi stipendiis seruiebant: nullum aliud officiorum & quas in comitatum facerent, impensarum præmium mercedémque expectantes ab eo, quàm vt in numerum eius adscriberentur, quàm vt eius clientelæ esse censerentur. Et ipse se in omnibus audiendis & admittendis facilem præbebat. In quo Principis liberalitas videtur potuisse decipi: quippe postea desertus est & afflictus

afflictus ab his, quos multis beneficiis & honoribus auxerat. Quorum hunc à fornace carbonaria & fuligine culinæ ad ordinem Professorum regiorum in Academia Parisiensi (cuius ipse conseruator, perpetuúsque disciplinæ illius rector à Regibus institutus fuit) excitarat. hunc verò à laqueo redemptum ad honoratissimam prouinciā extulerat. Sed eius erat ingenij cādor & simplex animi affectus, qualis boni Principis est, nemini vt ipse dolum meditatur, ita de nullo mali quicquam suspicari: qualis est omnino viri boni: qui vt optimus fuerit, ita difficillimè quemquam improbum posse fieri existimat: quò fit ab aliis vt officij honestíque specie ipsi non rarò fallantur. Illud ideo de hominibus sperare quum vidisset æquum quidem esse, iudicare verò & experiri periculosum: eandem quidem in familiaritatibus admittēdis integritatem, quam antea posterioribus temporibus retinuit, sed cautiorem & diligentiorē: nullum vt in clientelam reciperet suam, nec Regi commendaret, nisi qui sibi cognitus esset, & quantùm cuiusque probata voluntas, officia & merita postularent. Nil moratus eos qui pomis & crustis homines tum venarētur, qui aulico applausu & gratulatione omnem proselytum aucuparentur, quem in viuaria sua mitterent: qui sine discrimine ad Regem quemlibet adducerent: vel eodē, quo Absalon, exemplo, à Rege ad se abducerent. Quos autē semel recepisset, eos nunquam abs se desertos passus est, sed

Carolus Academiæ Parisiensis reformator, & eius disciplinæ conseruator.

Caroli ingenij candor.

2. Reg. 15.

Caroli in seruos liberalitas.

cum priuatis multis beneficiis amplificatos, tum publicis muneribus ornatos ſuſtẽtauit: nemo vt prioris ſtatus memor, in quo antè fuiſſet, quàm ſe in eius clientelam fidémque conferret, reperiatur (niſi qui ſuorum cõmodorum amantior, liberali & honeſta ſua ſorte nunquã contentus victurus ſit) qui domini quondam quidem ſui, porrò autem perpetuò futuri, beatam memoriam grata beneficiorũ recordatione, luctu & precibus nunc etiam non proſequatur: & in maximis ſuis honoribus numeret, quòd ſibi datum ſit, huic vt tanto principi aliquando ſeruiret. Idem ſumptus nõ mediocres faciebat in ædificando, vbicunque ei res eſſet. Nam ille & libenter & magno ſumptu ædificabat. Teſtis apud Rhemenſes Archiepiſcopalis domus, Theologorũ à fundamentis extructum ab eo Collegium Patritianum ampliſſimũ illud Seminarij gymnaſium: & quod duobus antè, quam è vita exceſſerit, annis exædificari cœptũ erat, Bonorum (quos vocant) hominum cœnobium. Teſtis apud Ianniuillam pauperum hoſpitium: & ibidẽ in illo celeberrimo, propter horum Principũ ortum & educationem, caſtro, velut Catholicorum principum fœcundiſſimo ſeminario, conſtructum eius ſumptibus munitiſſimum propugnaculũ. Tum proximum Lutetiæ, quod ei fuit tanquam Tuſculanum, Mudonium. Sin quas ciuilium bellorum temporibus impenſas ſuo, Eccleſiæ, reíque publicæ nomine fecerit, conſideremus: immenſum eſt, quod

annui

annui reditus ſummā ſuperet. Multæ igitur illi fuerint opes: multi etiam, qui comederent illas. Multi prouentus: ſed erant multi quoque & neceſſarij ſumptus faciendi: iíque plures, quàm ſuppeteret vnde fierent. Accidit enim, quamuis ille vt publicā, ſic domeſticam rem magno conſilio adminiſtraret, vt moriens ad 200000 nummûm coronatorū ſummam ex ære alieno reliquerit: quam ex ſuo ad aſſem diſſolui mandauit. Ergóne externis menſariis tam grādes pecunias fœneraretur, qui à ſuis ciuibus aliíſque ſæpè mutuari coactus ſit? qui vt creditam ſibi pecuniam diſſolueret, verſuram nonnunquā fecerit? Qui hæredem ex aſſe Guyſium nepotem (quò ad debitorum ſolutionem eſſet attentior) tanta pecuniarum ſumma oneratum, vt ei ex hæreditate non ſit vnde ſoluat, dimiſerit? Cuius argentaria ſupellex in ſumptus Rhemos reducendi funeris venierit? Qui, vel etiam mortuus, in expenſas exequiarum à ſuis ciuibus mutuas pecunias acceperit? Eadem verò te fortuna maneat, ô quicunque ſis huius commenti architectus & vates, quòd non melius in rem legatarij ſis auguratus: vt is defuncto teſtatore reperiret, vnde non modò ex legato grandem iſtam æris alieni ſummam eſſet ſoluendo, ſed vnde domus etiam ſuæ ruinas, quas his hæreticorum bellorū miſeris & calamitoſis tēporibus illa paſſa eſt, ſarciret & inſtauraret. Quid, quod hæc turpis lucri cupiditas atque negotiatio, quæ in puſillos & humiles ferè

Ecclef. 5.

Carolus moriēs grādi ęre alieno oneratū reliquit hęredē.

cadit, in animum tam excelſum, tam altum irrepſerit? Vilium ſunt hæ & abiectorum nimiùm, de ſui ſimilibus, hominum vanæ ſuſpiciones. Audiebant illum non rarò in Italiam proficiſcentem ad Venetos eodem itinere procedere. Profectionis autem cauſas & rerum, quæ illum eò vocarent, momenta quum nulla ſagacitate inueſtigare & aperire poſſent: ſuo illi pede virum tantum metiẽtes, faciendi fœnoris ergô, proficiſci ſuſpicabantur. Sed hoc quoniam nulla probabilitate, ſolius inuidiæ manifeſto indicio nixum exierat: hôc breuiore tempore raucus factus rumor, refrixit. At de numero ſacerdotiorum verba, quoniam ad probrum & ei commouendam inuidiam magis idonea, populóque magis fore plauſibilia viſa ſunt: hæc illi celeriter arripuerunt, & obiecerunt pertinaciùs. Quòd ſi virtutis amore, ſi Eccleſiaſticæ reſtituendæ diſciplinæ ſtudio feciſſent, eſſent vtique probandi. Quis enim non faueat & adſit æquo animo coarguentibus eorum auaritiam, inertiam, luxuriam, qui ſola paſcendi ſui, nulla dominici gregis cura incitati, Eccleſiaſtica captent beneficia, quibus nulla ſit religio bona, quæ nullo ipſi merito ſuo ſibi poſſunt vendicare, percipiendi? Quorum à pluribus, quæ poſſident, ſacerdotiis longa, annua, perpetua abſentia, populi ſalus in periculo eſt, pietáſque & cultus ſacrorum minuitur? quorum inexplebilis in ea graſſandi atque inuadendi cupiditas benemeritis omnẽ

In poſſeſſores plurium beneficiorũ.

ad ea

ad ea præcludit aditum: & facit vt propter distributionis iniquitatem alius esuriat, alius ebrius sit: Illi verò quum non ad imitationem virtutis, gloriæ potiùs inuidiam: non ad Ecclesiæ salutem, eius potiùs, qui suis illam vel solus humeris sustineret infringendam dignitatē) quò scilicet ipse minùs haberet subsidij ad iuuandam Ecclesiam) obfirmata maledicēdi volūtate in vitam illius & mores tam curiosè inquirerent, & eum excuterent vniuersum: quis tam solicitos in alienis cognoscendis inquisitores, tam iniquos morum vitæque alterius æstimatores ferat? Si iustam hoc nomine illius accusandi causam sibi fuisse censuerunt, cur non idem aliis, qui multa, qui nō pauciora, qui etiam plura obtinerent, qui in Ecclesia numeri tantùm essent, & ad eius fruges consumendas nati: quorum non consilium (si modò aliquo valeant) non præsidium, non voluntas, ne nomen quidem ipsum (quasi ipsi in eadem naui non essent, vel omnino non essent) hæreticis oppositum auditur: cur, inquam, idē pluribus aliis, qui in eadē sunt causa & damnatione etiā hodie non obiiciunt? Cur hunc vnum ex multis velut magis idoneum, cuius nomini dignitatíque sic illuderent, selegerunt? Quid verò si ex congruenti conuenientíque legis interpretatione & gratia, atque ex vtilitate Ecclesiæ ea plura meritò possederit? Vt enim in externa politia, sic in Ecclesiastica sæpe tempora, incidunt & rerum circunstantiæ: cùm ea, quæ iusta sunt, Pluralitas beneficiorū quādo licita.

dignáque maximè bono viro bonóque rerũ Ecclesiasticarum diſpenſatore, commutantur, nec idem eorum manet officium. Quod quum accidit, præcipitur, vt cõmuni ſemper Eccleſiæ vtilitati ſeruiatur, omniáque ad eius ſalutem referantur. Tum autem eam optimè ſeruari: ſi vt quiſque erit ad eam inſtituẽdam & defendendam virtute, doctrina, conſilio inſtructiſſimus: vel opibus & generis nobilitate clariſſimus (quando ſine his externis adminiculis, ex infirmitate voluntatum cõſiliorúmque noſtrorum, Eccleſia vix ſatis conſiſtit) ita benignitatis & abundantiæ bonorum Eccleſiæ plurimùm ei conferatur. Hinc non ſemper meliores, non etiam doctiores: neque contrà ſemper ditiores, vel nobiliores, ſed vno verbo vtiliores aſſumi. Atque ſic poſtulante temporum iniquitate, minùs bonos melioribus, minùs doctos doctioribus in ſacerdotiorum adminiſtratione diſtributionéque anteferri. Quod illi quamuis Eccleſiam verbo & doctrina non æquè iuuare: generis tamen ſui amplitudine & externa potentia illius dignitatẽ & decus ſuſtinere & contra hæreticos aſſerere poſſunt. Tum non vnum vni modò ſacerdotium, ſed pro perſonæ conditione, & Eccleſiæ commodo vni plura conferri. Nunc verò qũum hominem eſſet Eccleſia conſequuta: in quem diuina bonitas tot & tãtas naturæ, ingenij, fortunæ, generíſque dotes contulerat, quantas ad præſidium rerum ſuárum maximas potuiſſet à Deo poſtulare,

non

Cicero offi. cior. 1.

Tho. 2.2. q. 63. art. 2. Caietanus ibidem.

Pluralitas beneficiorũ in Carolo ferenda pro temporũ & perſonæ ratione.

non eum omni ratione sibi retinendum putasset? Quód mediocribus multis largiebatur: quod summis, in quibus satis esse putaret, si illius virtutum vmbra quædam inesset, & ad se tuendam aliqua significatio voluntatis, id huic antiquissimo, acerrimo, certissimóque patrono suo non detulisset? Non etiam, quod Reges, quod summi Pontifices offerebant, id ipse in eam partem, qua ipsi volebant, ad conseruandum liberalius erga regnum & Ecclesiam officium accepisset? Quis mihi proferat Ecclesiam ex eis quas obtinuit, quæ statum suum non tenuerit? quam ipse frequenter non adierit, & de toto illius statu cognouerit? in qua legibus illius ad summam præsentium & admirationem & exemplum non vixerit? In qua rem sacram non fecerit? in qua non docuerit? In qua nunc cum omni animi molestia non desideretur? Quæ nunc libenter illum maximis suis priuatis incommodis, si tantùm assequi possit, non redimat? Sed hæc hactenus de inuidiæ mole, quam Carolus sustinuit: omninóque de eius rebus gestis atque virtutibus: quas easdem pleniùs & alias complures historici suis doctissimis commentariis æternitati commẽdabunt. Nunc demum, quis eius fuerit exitus, & ex hac vita migratio, dicendum. Quum Lugduni (vbi ex Polonia reuertenti Regi occurrerat) de profectione in Galliam Narbonensem & finitimas prouincias, ad componendos ciuilis belli fluctus, esset constitutum: Is pridie Idus

Transitio ad obitum Caroli.

Nouembris, quinque antè diebus, quàm Rex eodē exiret, nauigio per Rhodanum vectus venit Aucnionem. vbi ſexto Nonas Decembris (qui dies erat ſacer memoriæ conceptionis D. Virginis) accidit, vt in cõcione, in qua Rex eſſet, repentè caput ei tam grauiter condoluerit, & caligare cœperint oculi, vt inde ante concionis exitum domum ſe recipere coactus ſit: ac non ita multò poſt, quod ei poſtremum fuit, decumbere. Ex quibus verò cauſis orta ſit hæc ex diuturna & conſtanti corporis habitudine tam repentina totius valetudinis perturbatio: quam nulla ægritudinis ſigna antegreſſa eſſent, ſubſequuta verò fuerint, quæ de morbi inſolentia ancipitem cogitandi mentem reliquerunt: quum alij ſic, alij aliter exiſtiment, aſſenſionem malim cohibere in re incerta, quàm quod minùs exploratè mihi perceptum ſit & cognitum, quidquam ſtatuere. Fuerunt medicis, qui adhibiti ſunt plurimi, cauſæ morbi parum cognitæ: certúmque eſt aliquantò antè ex eo in familiari ſermone auditum, quum optaret à Deo, ſe vt ex hac vita tolleret priùs, quàm videat regnum in eam calamitatem incidiſſe, cui nullo ipſe conſilio mederi poſſet & occurrere. Secũdo, quàm ægrotare cœpit, die, planè prædixit ſe conceptã ex hoc morbo mortem continere, iſtad mortē ægrotare. Quod poſtea ex acerbitate doloris, nullo intermittente tempore, ſed nouis quotidie incrementis & ardoribus ſeipſam ſuperante, non obſcurè, qui adſtabãt, intel-

Locus & tēpus vbi cœpit ęgrotare.

intellexerunt. Quamobrem omnem sibi rerum humanarum esse deponendam curam: atque de æterna magis, quàm de hac fragili vita cogitandum. Hic vnus tam subitus & tam alienus ab iis, quæ parabantur, negotiis, casus Regiam totam grauiter perculit, & publicam ex reditu Regis hilaritatem atque gaudium in summam tristitiam & luctum conuertit: quasi in huius vnius salute, salus contineretur vniuersorum: & ex eiusdem anima, salus penderet singulorum. Accidit autem percommodè, quòd ei cõiunctissimus frater Cardinalis à Guysia, Dominíque nepotes Mercurius, Guysius, Cenomanus, Fecanius, Almalæus & Elbusius essent in Regia: vt illi postremùm ministrarent, & eiusdem exciperent postrema verba. Horum in illum officia extiterũt, quæ ab illis expectare potuit, & quæ esse debuerunt. Tum verò ornatissimus & auitæ mansuetudinis atque obseruantiæ princeps Guysius, pro eo ac illum semper coluerat & se vicissim ab illo amari propẽsiùs senserat; nil non moliri & vestigare, quod ei medicinam aliquam afferret: quo illum, si fieri posset, redimeret. Hinc ille Ecclesiis eleemosynas, ad preces pro patruo fundẽdas, erogare. Idem à bonis omnibus ipse per se, metu & lachrimis perfusus, supplex postulare. Alios atque alios religiosos viros, qui noctes & dies Domino supplicarent, domũ subindè accersere. Omnes verò vota, quæ ad rem præsentem: alia, quæ primo quoque redditæ sanitatis tempore soluerent,

Ducis Guysij solicitudo in tractando Patruo tempore morbi.

pro eius incolumitate nũcupare. Rex interea, Regináque mater, omnésque Principes, & primarij quique, qui eò frequentes ad Regis reditum conuenerant, nobiles, summo erga illum cùm studio & humanitate crebrò inuisere. Sed cùm omnem consolationẽ dolor vinceret, nec vllam præ illo admitteret: vna se potissimùm sustentari dicebat, quum de præstantia vitæ cœlestis meditaretur. In qua cogitatione quum aliquando versaretur, & ipse multa sibi ad excitandam fidem, & desiderium supernorũ, illustrium virorum exempla ex literis sacris coràm proponeret: Quo, inquit, fine factum putamus, vt raptus in cœlum Helias pallium demiserit? Nónne vt nil eorum, quæ hîc possidemus, eò ingredi: nihil vt in hunc mundum nobiscum attulimus, sic neque quicquam hinc eò exportaturos nobis vt persuadeamus? Huius ego exemplo conformatus, omnia quæ mihi Deus multa & amplissima dedit: hoc etiã corpus, animæ palliũ meæ, libenter & ex animo relinquã: vt quò ille igneo curru, eodẽ ego (quò etiam inflãmato studio totóq; mentis affectu feror) nullis huius mundi sarcinis impeditus, subuehar expeditiùs. Quamobrẽ annos aliquot antè opportunè cõpositis sepulturæ & testamẽti rationibus, alacris ad obeundũ mortis vadimoniũ se comparat. Accersit animę medicũ, cui Catholico ritu peccata cõfitetur. Et quãuis eo ipso dominico die, quo cœpit ægrotare, rem sacrã fecisset: diẽ tamẽ ab illo quintum, in

Caroli sancta preparatio ad obeundũ mortis vadimonium.

4. Reg. 2.

Sacramentũ pœnitentiæ adhibet.

in quo ſalutiferũ Dominici corporis ſacramentum rurſus adhiberet, cõſtituit. De quo Rex cùm audiſſet, venit ad eum. Certũ eſt, inquit, illũ nobis ſalutarem aliquam doctrinam traditurũ, nec non illuſtre quoddam ad imitandum exemplum exhibiturum. Celebratur igitur ſub nonam matutinam Euchariſtiæ ſacrum: cui intereſt ipſe valde patienter & religioſè. Sub tempus conſecrationis vocat ad ſe ex ſuis, qui ſibi de lecto ad altare deſcẽdenti miniſtrarent. Id verò conantem retinenti & cohibenti Regi, Qui, inquit, ego ſum, vt veniat Dominus meus ad me? omnino indignus, qui intret ſub tectum meum. Antea ſi honoratus quiſquam ad me veniſſet, obuiã ei properabam: nunc, licet infirmus, Domino meo non idem præſtarem? Surgam cum bona tua venia, Domine mi Rex, ſurgam: & ibo ad eum. Sacerdoti itidem, vt inſiſtat, innuit. Innixus tandem duorum, qui eum vtrimque fulciebant, humeris, ad medium cubiculum deductus eſt: vbi genibus aduolutus vſque ad communionem inſtitit. quo loco fidem primùm ſuam clara atque diſtincta voce à capite retexit: & coram teſtatur ſe de veritate corporis & ſanguinis Chriſti ſub panis & vini ſymbolis in miſſę ſacrificio, ſimpliciter ex verbis Domini, nil addẽdo detrahendóue, cum Apoſtolica & catholica Romana Eccleſia ſentire: ſéque teſtari illum Deum, ad quem ſe iturum non ita multò pòſt ſperaret, quem iudicem expectaret, ſe nullo antè tempore aliter

Sacrificium coram Carolo: in quo recipit ſacroſanctum Corporis Chriſti Sacramentum.

Rex eò conuenit.

Matth. 8.

Carolus de lecto deſcẽdit ad communionem.

Caroli profeſſio fidei.

credidisse. His addit generalem noxiarum exomologesim: tum vota & preces, quas ipse clausit voce, quanta pro dolore maxima poterat, exclamãs cum D. Thoma: Dominus meus, & Deus meus. In quibus verbis sanctissimum illud cœlestis itineris viaticum accipit. Post gratiarum actionem ad lectum reportatus, Regem alloquitur: & pro ea, qua apud illum gratia, primíque & antiquissimi in Gallia senatoris authoritate, plurimùm valebat, plena prudentiæ & fidelitatis dat ei de Regni salute consilia. In primis verò exhortatur ad amorem & timorem Dei, ad Ecclesiæ defensionem: pro qua primùm Christus, pro qua tot postea martyres, & nouissimis diebus in Gallia tot defuncti patris Henrici, fratrúmque Francisci & Caroli Regum, serui cùm Principes, tum præstantissimi summíque Duces sanguinem profudissent. Quorum industria, laboribus & vitæ periculis vnà cum Ecclesia ipsum quoque regnum ad eum peruenisset. Deinde Ducem Alenconium, Regis fratrem: vt Regis partes, vti facit, semper sequatur. Si quos in comitatu habeat, qui eum ab ea voluntate deducere conentur, excludat. Nam Rege dextram potiorésque tenẽte, ad sinistram ipse si declinet, certissimam Regni Valesiorúmque familiæ, cuius ipse vnus post Regem reliquus esset, ruinam instare. Tum Regem Nauarræ, alіósque nominatim aliis pluribus verbis ad retinendam perpetuò & constanter asserendam fidem

Ioan. 20.

Caroli ad Regem & alios Principes postrema verba.

fidem, ſicut non ita pridem iterũ coràm recepiſſent, exhortatus. Poſtremum D. Nepotes, vt eorum quæ antea de pietate erga Deum, de obedientia, officiorúmque, quæ Regi, regnóque deberẽt, fide, præcepta dediſſet, ſemper meminiſſent. Atque hæc ipſe iam quaſi ab vbertate domus cœleſtis inebriatus, qui paulò pòſt de illius torrente ſaturandus erat, cum tanto animi ardore ſtudióque ſpirabat, vt admirabili loquentis intus ſpiritus Dei vigore vniuerſos ad ſe raperet. Tum verò quum Regem complexus, æternum ſalue, valéque poſtremũ dixit, ita affecti ſunt omnes, vt lachrimis oppleti ſint, & vix tandem ab eo diſtracti. Nec ita multò poſt Regina mater ad eum venit. Vbi habitis vtrinque, quæ perſonis erant digniſſima, verbis: & iis, quibus illam cum omni animi moderatione admonuit, pergeret vt ipſa regis regníque negotia ſimpliciter fideliterque tractare: affirmat ſanctè in omnibus ſuis conſiliis cùm pacis bellíque, huius maximè ciuilis, temporibus non aliud ſibi, quàm Dei gloriam, Regis regníque dignitatem & ſalutem propoſitum fuiſſe: eò omnia retuliſſe, nil ad ſuam ſuorúmque potentiam reuocaſſe. Tum ei in oſculo pacis proſpera cuncta poſtremùm precatus: & pollicitus ſe apud Deum in cœleſti regno (quando iam in hoc terreſtri non daretur lõgiùs pro ea interceſſurum, ſic præſentes iterùm commouit: vt præ triſtitiæ magnitudine animo propemodùm defecerint. Cæterùm in his illa

Vale poſtremum dicit Regi.

Regina mater venit ad Carolum.

Vale poſtremum dicit Reginæ.

lachrymis ei promittit (quod antè Rex etiam ſua ſponte) quò plura perpetua, longéque gratiſſima eiųs generis officia erga Reges in Gallia fuiſſent: hôc illud ſe accuratiùs apud Regem filium commendatum habituram, nullóque ſe illis vſquam gratæ memoriæ ſtudio defuturam. Pomeridiano illius diei tempore teſtamentum, quod integrum ipſe manu ſua conſcripſerat, præſentibus ex ſuis, quos ſibi adhibuerat, legit: & adiunxit non pauca, quæ priuatim ad ſingulos quoſdam (qui tum, pro eius in illos animi propenſa volũtate, occurrerunt) pertinent. Quo loco honorificè meminit tui, Domine mi Carole Vademontane: quod eius erga te amoris teſtimoniũ tantùm apud te valere debet: vt ſi non aliud inde tibi vnquã ab eo beneficium, huius tamen cauſa memoriam illius grata beneuolentia perpetuò vſurpare debeas. Atque hæc vt verbo tenus ab illo dictata ſint, & ſeparatim à teſtamento in libellum ex eius mandato deſcripta: ea tamen plenè perfici impleríque voluit & mandauit. Exinde ad diem, quo extremam vnctionem admiſit, pergebat ſubinde, prout acerbiſſimus capitis doloris ſenſus & morſus acerrimus ferebat, adhibitis exclamatiunculis & ſuſpiriis à Deo poſtulare, vt ſe ex huius vitæ moleſtiis ad ſe vocaret, & curis omnibus atque doloribus liberatum, æternùm ſecum habere vellet. Quum verò propè iam tempus inſtare ſentiret, quo in aliam eſſet vitam commigraturus: ſacro infirmo-

Carolus moriẽs meminit Caroli Vademõtani nepotis ſcholaſtici.

infirmorum oleo vngi postulauit. Idque ab Archiepiscopo Ambrodunensi: quem in eorum, qui conuenissent, cœtu vt vidit, rogauit illud sibi ministrare. Interroganti, psalmos precésque recitanti, sua quaque vice respondet: & ministrum in vnctionis partium ordine alteram pro altera sumentem blandè reuocat & confirmat. Hoc interim tam alacri promptóque animo, ea cum religionis pietate & sacramenti reuerentia admittit, vt qui adessent, lachrimas, etiamsi maximè voluissent, minimè continerent. Erãt medicis morbi incognitę causæ. Quamobrem ex hoc etiam tempore, pro commutata subinde naturæ affectione & erumpẽtis impetu (qui ea adhuc ætate, & sic benè à natura compositis integréque conseruatis corporibus, tùm ferè concitatior esse solet) nonnullam quoque hinc illi sibi spem salutis, promittebant. At qui noctes & dies illi aderant, non obscuris indiciis prouidebant, illum ad vitæ finem sensim inclinari: & illi iam à Deo mundi melioris bona degustanda propinari. Nam & si doloris acerbitas iudicij vim & constantem ad ratiocinandum facultatem aliquoties impediret: ea tamen quum aliquantum mitigaretur, animi, qua valebat, præstantiam planè ostendebat. Et interiorem pietatis affectum declarabat perspicuè: cùm in ipso doloris ardore, & eiusdem remissione Psalmos Dauidicos, hymnos, aliósque modos & numeros Ecclesiasticos, quos in tẽplo consueuisset,

Adhibet sacramentum extremę vnctionis.

Moriens canit psalmos Dauidicos, aliósque Ecclesiæ hymnos.

caneret. Quo non aliud illustrius dari potuit testimonium: ex quo intelligeretur, quibus ille rebus esset antea delectatus, & quis omnino antea fuisset. Nō enim tum vlla fallax imitatio virtutis, nulla vitę, qualis antè acta fuerit, ficta fucatáque significatio: sed simpliciter & apertè, sine vllo simulationis & dissimulationis inuolucro, mores cuiusque & vita sese detegunt. Idem sæpius eodem, in quo decumbebat, cubiculo, voluit illud solenne precationis ad D. Virginem carmen vesperi decantari: itidem lustrali aqua expiari. Quin aliquando media nocte crucem complexus, quum quæsisset, quid eam tandem esse dicerent: & respondisset, qui rerum sacrarum mysteria proponebat, esse salutare passionis Iesuchristi monimentum: tum ille rectè tu quidem, inquit, sed hoc etiā ampliùs, quòd fasciculus mirrhę dilectus meus mihi: qui vt viuenti, sic morienti inter vbera commorabitur. Hìc mihi, quæso, videte Christiani: quàm sit salutare bonorum authorum lectione assuescere, & illustribus eorum sententiis animum imbuere. Hic quum D. Bernardum haberet familiarem: sic hoc ab illo expositum passionis & laborum Christi dulcissimum & suauissimum symbolum altè in animo impresserat, vt illud cùm aliàs, tum in concionibus libenter vsurparet. Et nunc demum, quum ea, quibus viuentes delectati sumus, effundunt sese liberè: idem opportunè occurrit. Hìc etiam plures versus de morte & Sathana triumphantis

Caroli crucē complectētis ardentissimi in Christum amoris significatio.

Cant. 1.

Bernard. Serm. 43. in Cant.

phantis hymni, Vexilla Regis prodeunt, clara & ad Ecclesiæ cantum inflexa voce recitauit: & absolutionem ab eodem ministro postulans, iussit eum verba sic concipere: vt in iis sit, qui breui pòst tempore ad aliam vitam sunt commigraturi. Vt hac inquit, ex virtute meriti passionis Iesuchristi ab omnibus noxarũ culpis solutus & liber, iter ad eũ promptiùs conficiam. In iis demũ verbis, eáque perpetua pietatis significatione, sub natalis Domini pomeridianam tertiam aucto dolore, & ingeminatis conuulsionibus, ad quartam matutinam insequẽtis diei (qui dominicus erat, idémque D. Stephano sacer) sine vlla contentione iactationéque corporis, anima ex illo tabernaculo ad eum, à quo in illud immissa fuerat, egressa est: & eò, vnde descenderat, regressa. Siquidem de eo sic piè cogitare & fausta fœliciáque omnia augurari debeamus: Cuius antè fuerit tam laudabiliter acta & laudabili fine conclusa vita. Rex, D. Fratre, & Rege Nauarræ, Regiáq; tota comitatus, eo die post prandium venit ad funus. Quod cum lachrimis & precibus aqua lustrali vt aspersit, eodem itinere profectus est ad mœstissimos nepotes. Vbi omnibus officiis, quæ illi tẽpori tribui potuerunt, declarauit: & quanti patruum fecisset antea, & quàm suus idẽ erga illos animus esset perpetuò futurus. Regina mater, quoniã valetudine impediretur, eodem die complures ornatissimos viros consolatores, multis ad consolationem suauissimis

Canit hymnum, Vexilla Regis.

Moritur Carolus.

Regis Reginæque matris & regiæ totius in funus & mœstiss. Nepotes Christianum officium.

verbis, aliísque amplissimis ad amoris erga illos sui declarationem mandatis instructissimos præmisit. Nemo interim ex Regia cuiusquam ordinis, nemo ex vrbe cuiusquam ætatis homo fuit, qui obortis lachrimis non sit eôdē ad aspersionē aquæ expiatoriæ profectus: hūc omnes, velut cōmunem Catholicorū patrē & pastorē, Ecclesiæque legitimū tutorē desiderātes. Corpus postridie ad templū Prædicatorum delatū: & illi amplissimū ibi curatū funus. Ad quod cohonestandum Rex etiam eôdem conuenit. Illud inde mœstissimus Fecanius nepos (nūc etiā Archiepiscopus Rhemensis) cum comitatu domesticorum nobilium Rhemos extulit. Vbi in eo, quod annis antè aliquot ipse sibi parauerat, sepulchro, adhibitis omnibus summa cum ceremonia funeris solēnibus, iuxta Franciscum suum conditus est. Cor autem in templo D. Petri Rhemensis ad sacras virgines, proximo ei, in quo Francisci nepotis cor etiā conditum est, loco humatum. Narrantur complura signa, quæ & ante mortē & sub illius tempus isthic visa dicuntur: nō ab obscuris solùm, nec mediocribus hominibus, sed genere & nobilitate illustrissimis, & in Regia primas partes agentibus: qui ipsimet illa vt vidisse affirmant, ordine & sigillatim palàm narrarunt. Quæ si vera sunt, de beata illius animæ immortalitate & fœlicitate non obscurum nuntium attulerunt. Fuit hic, Serenissimi Principes, ac primariæ nobilitatis Lotharenæ Clarissimi Viri, vitæ Caroli exitus

Corpus Rhemos in sepulchrum quod antè sibi parauerat, effertur.

Signa visa post mortē Caroli.

Peroratio.

exitus

exitus. Qui ſi ex vultu, fronte & oculis veſtrum erga illum, vt quōdam viuentē, ſic nunc vita defunctum, amorē benè perſpicio, vobis acerbiſſimus eſt & luctuoſiſſimus. Quod eò profectò vobis cōcedendum eſt magis, quòd ingenio, virtute, ordine, nomine ornatiſſimo generis veſtri Principe priuati eſtis: & eo Principe orbati, qui certiſſimū familiæ columē erat: qui Lotharingū nomē, per ſe ſemper celebre, literarum & virtutum, quibus maximis floruit, gloria longè apud omnes illuſtriſſimū nouiſſimè reddidit. Sed his quum bonis omnibus flebilis occiderit: haud ſcio, an vlli magis, quàm tibi, ô connubij regniq; Lotharenι particeps & ſocia Claudia Valeſia: quæ, ſicut quondam nobiliſſimæ apud Romanos Paula, Marcella & Euſtochium ſuum doctorem Hieronymum, ſic tu illum præcipuo quodá vereque pio & Chriſtiano amore ſemper proſequuta es. Nam ex morbo decumbens, quum eum ad conſolationem, ad ſacra tibi miniſtrāda deſiderares, quum te literas ab illo nullas accipere quærereris, indéque coniiceres eodem illum tempore valetudine impediri. Quum toties cum lachrimis de eius ſalute rogares, & accepto de illius, diu tibi tacita, morte nuntio, tantam vim lachrimarum profunderes, vt eam vix tandem vllum conſolationis genus ſiſtere comprimeréque potuerit. Quum abſterſo fletu coràm pronuntiares, ex quo cœpiſſes ægrotare, te mortem minimè timuiſſe: propterea quòd, ſi præſidiorum

Iuſtiſſimus Lotharingorum luctus ex morte Caroli.

Apoſtrophe ad Ducheſſam Lotharingiæ quæ tertio poſt Carolum mēſe obiit.

humanorum in tantis temporum difficultatibus vlla esset habēda ratio, stante Carolo, possent tui, illiúsque generis omnes statum suum retinere. At eo mortuo, te à Deo postulare, vt ad vtrosque tuendos vitã tibi prorogaret longiorem. Quid tum aliud te spectasse cogitamus, quàm quem familiæ tuæ ornamētum & decus antea semper habuisses: quem grauissimum morum religionísque magistrum in vita coluisses, te eundem etiam in morte supremorum ad Deum verborum monitorem & doctorem libéter habere, itineríśque ad eum Ducem atque Xenagogum sequi, & tãquam alterum domus tuæ parentem post te relinquere maluisse? Neque verò fuit tuum de illo votum inane, nec vanum desiderium: siquidem expletum, quamuis alio consilio. Nam ille tibi præiit: & viam, quam teneres, monstrauit. Tu non ita multò pòst in eadem fidei Catholicæ confessione, qua illum decessisse audiueras, subsequuta: vt quemadmodũ maxima morum similitudine bonorum, summáque rerum cùm humanarum, tum diuinarum consensione viuentes vos inuicem dilexeratis: Ita & in morte, nisi paruo momento, sitis separati. Quò magis probandum est hoc, Illustrissimi Principes, quod vtriusque celebrandis parentalibus idem est à vobis constitutum tempus: vbi præter summum illum mœrorem, quem accepistis ex optimæ atque desideratissimæ nostræ Principis interitu, quanti quoque pro sua quisque parte

Nancij codē tēpore iusta soluta Duchissæ à Lotharing. & Carolo.

Carolum

Carolum fecerit, dolendo ſatis indicat. In quo naturæ amoríque erga illum veſtro vt ſatisfaciatis, non impedio: verùm itáne frangemur animis & dolore debilitabimur, vt ei ſuccumbamus? ſic ad intuitum huius cænotaphij, & circum funebriũ facium, quæ non ad incrementum moleſtiæ, ſed ad Deum erigendi cordis cęremoniam ardentes admoueri ſolẽt, mentis noſtræ perſtringentur oculi: vt quæ ad minuendam doloris vim nobis maxima & grauiſſima eſſe debent, non prouideamus? Quin potiùs animũ erigimus, mentem attollimus: & ea, quæ nobis cum piis omnibus ad conſolationem communia ſunt, quæque ex ſacrarum literarum monimentis pro cõcione à ſapientiſſimis viris de ſpe immortalitatis & gloria reſurrectionis eorum, qui huius vitæ defuncti laboribus in Chriſto deceſſerunt, vſurpata vel audiuimus, vel ipſi legimus, nobiſcum taciti recolimus! Et ſimul (quod ad nos ipſos propriè pertinet) quantum ſit hoc Dei beneficium, quòd ille hæreticorum manibus non occubuerit, reputamus? Hoc enim eiuſmodi eſt: vt omnem, quem ex eius obitu animi dolorem accepimus, depellere detrahereque poſſe videatur. Agite dum, animũ parumper ab hac moleſtia abducite: & quando liberæ ſunt cogitationes, animo fingite eum in inimicorum ſuorum arbitriũ poteſtatémque veniſſe, vti illi venturum tandem aliquando ſibi promittebant: quis tum huius tanti, tam horribilis caſus atrocitatẽ, huius tam vehemẽtis

Duo grauiſſima Lotharingorum vulnera in morte Duchiſſæ & Caroli. Conſolationis loci.

Maximũ ad conſolationem arg. quod Carolus hæreticorum manibus nõ occubuerit.

doloris sensum acerbitatémque sustinuisset? quem nostrum hunc omnibus vexatum & affectum contumeliis, omnibus iactatum & appetitum iniuriis, toto laniatum corpore, necatum crudeliter, audiétem doloris ardor nō consumpsisset? mœroris æstus non absorbuisset? Nunc verò ex mediis illum ereptū hostibus, ex mediis inuidiæ flammis integrum, ex media morte vindicatum: sartum denique & tectū ab atrocitate temporū, quum Dominus sua in electos singulari prouidentia nobis ad extremum conseruarit: quanto æquiore animo naturæ vt debitam, sic eidem reseruatam mortem ferre debemus? quāto huius beneficij iucunda memoria & recordatione nostrum conuenit lenire dolorem & temperare? Vixit ille tranquillissimis & florentissimis, itidémque maximè turbulētis atque grauissimè afflictis Ecclesiæ Galliarúmque temporibus. Quibus tamen

Carolus satis diu sibi vixit.

vtrisque cū inter doctissimos Theologos acumine ingenij, lepore dicendi, gratia atque authoritate cōcionandi de verbo Dei, coram Regibus, in celebrioribus quibusque Galliarum templis: tum in Senatu, in sanctiore cōcilio inter clarissimos & disertissimos quosque Senatores abundantia consilij, rectæ voluntatis officiorúmque conscientia, fide: rerum, quas plurimas suscepit, administratione: doctissimorum quorumcunque comitatu & familiaritate, summorū Pontificum Regúmque ornamentis omnibus, bonorū omniū singulari studio & obseruātia:

denique

denique rerum geſtarum maximis honoribus, ampliſſima gloria, viguit & floruit. Et tamdiu vixit, quamdiu hæreticorum errores doctrinæ refutare, & eos ad vnitatem Eccleſiæ reuocare potuit boni prophetæ doctrinæ veritas, præſtãtia & orationis grauitas. Tamdiu, dum illorũ impetus ab Eccleſia repellere atque propulſare: dum ex illorũ manibus arma extorquere potuit optimi atque facundiſſimi Senatoris conſiliorum vis & prudentia. At quum vno auulſo iſtius hydræ capite, nouum perpetuò renaſcatur: quum noua quotidie miſceantur, parentur: ea ſit rerum deſperatio, vt hæ nullo humano conſilio, nulla hominum induſtria, nullo præſidio, ſolius Dei ſumma virtute in integrũ reſtitui poſſe videantur: Quid eſt, quòd illum omni officio, omnibus perfunctum honoribus ad viuẽdum inuitaſſet? quid eſt, propter quod fratrum, qui pro Eccleſia, pro regno, gladij ciuilis furorem, hæretici ferri crudelitatem, vno propè tempore ſubierunt, funerum ſpectator longiorem vitæ curſum expetiſſet? & nos vicem eius doleamus, qui tot ventos, tot patriæ procellas & fluctus, tot turbines inuidiæ ciuiliúmque bellorum viderit, paſſus ſit, naufragium tamen non fecerit? qui in tanta & tam periculoſa inſidiarum diſcrimina incurrerit, nullo tamen, vel non aperto accepto vulnere, toties ex laqueis venantium, ex manibus parricidarum ſaluus & incolumis elapſus ſit? Cui denique diuino munere conceſſum eſt, vt ad

pedes Regis sui, in complexu amantissimi reliqui fratris, charissimorũ nepotum, mortis opportunitate, idoneo recognoscẽdæ antè actæ vitæ, fideíque professionis exhibendæ tempore, ex huius errore sæculi, ex hac iniquissima vitæ conditione discesserit: quid est cur eius causa lugeamus? Non videt nunc eius, quod ipse viuens continebat, & ne tum erũperet, magnopere laborabat, nouæ cõiurationis incendium: vt ille mihi opportunè antè raptus à Deo videatur, quàm hoc Ecclesiæ & regno grauissimum omniũ scandalũ: & quod ipse Galliæ malorũ extremum, si contingeret, dicebat, cernere cogeretur. At nobis etiam prouidendum, si porrò illum lugere pergamus, si dolori nõ resistamus: ne luctum hunc non ad nostram in illum animi beneuolẽtiam potiùs, quàm ad acceptum ex eius morte in re priuata incommodum & detrimentum referre videamur. Sin autem Ecclesiæ pernitie, & cõiuncto cum bonorum omnium calamitate Reipub. damno luctus nostri modum metiamur: quis nos contineat, ne toti in lachrymas effundamur? quis enim mœror? quis questus? quæ temporis longinquitas deplorandis duorum, Caroli & Francisci, fratrum principum funeribus par reperiatur? quis medicinæ faciendæ, quis consolationis locus? cuius existere potest tanta vbertas orationis, tantum flumen ingenij, qui nobis cum Ecclesia Gallicana communem dolorem eripiat & exhauriat vniuersum? qui regni ruinas

Publicorum incommodorum causa Carolus cõtinenter lugendus.

ruinas & acceptas à morte Francisci, & impédentes ex obitu Caroli consoletur? At dicet hîc quispiam: Tumultuentur Galli & insaniant, confligant inter se, infima summis, media vtrisque in sua Repub. paria faciant: quid ad vos attinet, qui legibus, qui ditione, qui imperio separatos ab eis patriæ fines obtinetis? Permultùm sanè. Nam, vt illum naturæ sensum, quo hominum inter ipsos societas & amor continetur, taceam: vt arctissimum illud, quo nos, tanquam in vno capite Christo consociamur, quo læta & tristia communia facere, cum flentibus flere iubemur, fidei & charitatis vinculum prętermittam: vicinitates & confinia, veteres, eadémque perpetuę cum Gallis amicitiæ, cõsuetudines, affinitates: tum nuper assumptis vtrinque ad regias nuptias duabus principibus, propinquitatis renouatæ coniunctiones admonent: vt in turbulentissimis maximarum, quibus agitantur molestiarum tempestatibus, nos in ipso portu securi, quid dico securi? Imò enimuero soliciti & vicinitatis metu suspensi. Quis enim de domo sua securus, cuius proximus ardeat Vcalegon? cuius patriam tam frequentes armatorum Germanorum in Galliã, & Gallorum obuiam properantium progressus & reditus vexent & lacerent? Nos, inquam, cum illis tanta affinitate, tam multis societatis atque necessitudinis vinculis, officiis, deuincti, grauissimis illorum casibus: & iis casibus, quos ex interitu duorum Lotharingorum fratrum

Luctus Lotharingis cũ Gallis communis, & cur.

1. Cor. 12.

Lotharingorum cum Gallis societatis & affinitatis coniunctiones.

Afflictis Galliæ rebus Lotharingia benè habere non potest.

acceperunt, non moueamur? Qui in eorum communioné temporum necesse est vt incidamus: quorum afflictæ res secum simul ruinam trahunt nostrarum, cum eis vt in luctus societatem nō veniamus? Hei cogitanti mihi de tuo, cōque tam inopinato casu, ô florentissima tu quondam Ecclesia Rheměsis, quàm multæ de tuis fortunis occurrunt querelæ! Quænam vnquam in morte pastoris sui plura honorum ornamenta & lumina dignitatis amisit? Quænam bonorum, quibus plurimis abundaret, iacturam grauiorem fecit? aliorum, quæ in promptu essent, spe & expectatione maiore decidit? Quid illa nunc Archiepiscopi tui disertissimis concionibus, tot ad eas hominum concurrentium millibus celebrata quondam & nobilitata templi tui spatia? quid suggestus ipse purpureo tectus conopeo? Non est ille, non est luctibus tuis, non iis, qui in illum nunc ascendunt locum, conueniens color: non solùm quia non Cardinales, non Principes, sed ingenij fœlicitate, dicendi copia, gratia & maiestate inferiores. Ecquis enim illi in eo genere secúndus? Quid illud item nuper restitutum, & longè quàm antea illustrius, altare religiosissimum. In quo solennibus festis tanto cum apparatu, ea vocis claritate & suauitate, qua Canonicis omnibus præstabat: cantu non contétione vocis vel remissione supra modum aut elato, aut summisso, sed mediocri, æquabili & per omnes sonos inflexo suauiter, pleno omnis grauitatis

Apostrophe ad Ecclesiā Rhemēsem.

uitatis & religionis rem diuinam faciebat? Quid illa in exedriis interioris templi extra quadragesimam purpureo, aliàs amethystino ornata tapeto, nunc præsule tanto vacua cathedra? Memineris, quæ quondam fuerit ad illius splẽdoris præsentiam chori tui dignitas? Quæ lætitiæ voluptas? quæ religio præsentium: cùm eum inde cum toto collegio psallentem audirent? Quisnam obsecro vel Canonicorum, vel sociorum tum inde aberat? Quis non, vt locum occuparet, multò, quàm precum signum vltimum daretur, antè properabat? quis ingrediens vltimus non erubescebat? quis antè signum dimissionis pedem ausus efferre? quis non psallere? quis non se totum ad eius aspectũ & exẽplum religiosè componere? Quid supplicationibus indicti dies, quibus ipse nudis nonnunquã pedibus populo præibat? Quid eiusdẽ feria quinta in cœna Domini cùm ad pedes Canonicorum ad portam templi, quæ dicitur Preciosa, tum in Palatio ad pedes pauperum, quos ipse vestiebat, quibus ipse cibum ministrabat, quorum pedes lachrimans & positis itidem soleis lauabat, abiectio? Quid nunc Academia suo orbata Romulo? Quid illæ secus Academiæ: fluenta in hortis tuis, in tuæ diœcesis seminario, primæ omnium in Gallia non ex hominis cuiusquam, sed sancti Spiritus in Concilio Tridentino mandato singulari fœliciter insitæ, & educatæ liberaliter nouellæ plantationes? Ah quanta, & quàm iusta luctus tibi fieret

Seminariũ si non perficiatur, vt moriens mãdauit Carolus, maxima omniũ Ecclesiæ Rhemensis luctus occasio.

acceſſio, ſi tranſlatis inde in vſum vicanarum Eccleſiarum plantis, illæ noua non reddita ſobole rareſcerent, & vel obliquè ſummouerentur: ſi negligentiùs excultæ non eum, quem vberem & lætum ſuo quidem, ſed alieniſſimo tuo tempore, fructum iam antea tibi reddiderunt, reddere porrò nō pergerent! Si, quod malum ab eorum, quibus aſſerendarum munus delatum eſt, ceruicibus auertat Dominus, naſcentes opprimerentur! Quid quatuor mendicantium familiæ, quibus ab eo annuæ frumentariæ decernebantur penſiones, & eorū celebrandis generalibus Conciliis ſumptus & impēſas ſuppeditando æquales exemplo, vt idem iam facerent, ſuo ipſe commouit? Quid ille Paſchatis, Pentecoſtes, & Natalis Domini cum vniuerſo propè populo Rhemēſi ad exhibendum omnibus, qui tum adſunt pauperibus prādium, Noſocomij luſtrationes? Quid propugnacula ciuitatis? Quid foſſæ? Quid muri? Quid ipſius mores potiùs, & vitæ religioſa conſuetūdo? Quid iudicum curia Senatoria? Ipſa denique tam elegans vrbis totius à Carolo expolita facies, Quid aliud tibi eſt, quàm perpetuæ illius quidem memoriæ, ſed tamen acerbiſſimi atque triſtiſſimi deſiderij, quod æternum ſui apud te reliquit, monimentum? Atque hæc ego modò tecum: quando hîc ad Franciſci deſignati ſucceſſoris memoriā ſic cōmoueor, vt nec animo, nec lingua nec ore conſiſtam. Accedit quòd his ego tuis impedior, propè exanimor

Pauperibus ter publicè ſolitum dari Rhemis in anno prandium.

vocibus

vocibus: quas mihi videor audire aſſiduè, & quibus voluntate atque animò præſens interſum quotidie. Miſeram me! quod ego vnum potiſſimùm timebã, hoc ipſum omnino euenit mihi. Atque hoc ampliùs: vnde mihi ſalutis obtinendæ, vel etiam amplificãdæ dignitatis, quaſi cœleſte quoddam numen affulſerat, inde mihi dolorũ obortus cumulus, inde mihi lachrimarum riui perennes emanarunt. O ſpes inanes & vanæ cogitationes meæ! Ego quum in eo rerum ſtatu eſſem, quem nulla naturæ communis fragilitas conuellere, quem non ambitioſa ſacerdotiorum ſtudia & preſationes poſt obitum Caroli mei turbare, nulla erroris humani labefactare poſſe videretur iniuria. Quum duos haberem Rectores, alterum in officio, cuius nominis amplitudine, doctrinæ veritate, morum probitate atque opibus ſuſtentabar: alterum, qui magna ſpes eſſet altera reſurgẽtis Eccleſiæ, de quo mihi certò promittebam, vt extincto Carolo ipſe me pari ſtudio & voluntate complecteretur, me coleret, me tueretur. Hic quum eſſet rerum mearum curſus, idémque poſtea futurus crederetur: mihi vnquam euenturũ putaſſem, vt in eo ipſo, quod non ita multò antè ſibi Carolus fodiſſet, in quo à nepote ſucceſſore humari voluiſſet, ſepulchro, illum ipſum deſignatum ſucceſſorem, viuo, vidente, ſpectantéque patruo, conderem? O me miſeram & afflictam! Quid? vt redundantibus ex eodem fonte doloribus, Carolum ipſum, etiam

Proſopopęia eccleſię Rhemenſ. in qua luctus eius cauſæ ponũtur.

alterum mihi iam fingentem formantémque Franciſcum, anno poſt, eodem in ſepulchro, ſepelirem? vt hac iterum ſpe noui ſucceſſoris, quem ille mihi iam certa & cõſtanti voluntate deſtinarat, moribus & ingenio Franciſcum illum, patruum autem ex nomine reddentem, erecta: nunc etiã denuo fruſtrata, vidua relinquerer ambitioſis aulicorum prenſationibus & occurſationibus ad prædã? Deum immortalẽ! Quodnã ego tantũ ſcelus cõcepi? quodnã ego tantum in te facinus admiſi, vt ex tanta ſpe ad tantum timorẽ, prope deſperationem tam exiguo & breui tẽpore inciderem? Si illum me eo, quo ſponſam decuit, amore & officio proſequutam eſſe, pœnam meruiſſe eſt: pœnam meruiſſe me fateor. Sin, quod timuerim potius & crediderim, quia illo digna nõ eram, quia illum fruſtra & inutiliter audirẽ: quo me vertã? cuius ego potiùs fidem, quàm tuam implorem? Abs te igitur pacem & veniam peto & quæſo: vt aliquãdo placatus, & iis, quas à me grauiſſimas expetiſti, pœnis ſatiatus, ſtatum rerum mearum confirmes. Déſque, vt in eo potiùs cum ſuaui & grata Caroli mei recordatione, eiúſque, quam docuit, legis obſeruatione acquieſcere liceat: quàm vt mihi neceſſe ſit poſtea optimi paſtoris mei ereptum conſilium, fidémque, & præſidium fortunarum deſiderare. Sunt, Auditores, Eccleſiæ Rhemenſis ex obitu Archiepiſcopi ſui queſtus quotidiani iuſtiſſimæ lachrimæ: quas illa eò liberiùs apud vos effudit, quòd

Eccleſiæ Rhemenſis Apoſtrophe ad Deum.

Eccleſ. Rhe. oratio ad Deum.

quòd se à vobis amari intelligit, sempérq;, vt sperat, amabitur. Et ipsa vicissim huius beneficij, quòd ex genere vestro tantum principem habuerit, fore se cum omni charitate & beneuolentia perpetuò memorem, salutis vestræ studiosissimam, & nominis dignitatísque vestræ fore semper obseruantissimam pollicetur. Ecquem porrò totius Italiæ, quæ sanctissimum hoc par fratrum summa semper obseruantia coluit, dolorem fuisse putamus? Quemnam Pij IIII. Pontificis Max. totiúsque purpuratorum Patrũ Collegij qui singulari exẽplo, adhibita funebri laudatione (quorum in eo pietas, Gallorũ etiam vicit erga eundem charitatem) iusta funebria Duci Guysio celebrarunt? Quemnam Gregorij hodierni põtificis: qui vltima profectione Cardinalem suum habuit sanctæ sedis consiliorum non modò participem, sed toto, quo ille Romæ mansit, tempore authorem, principem: & negotiorum, quæ tum occurrissent, omnium confectorem? Quem itidẽ Cardinalium, quum de tanti Senatoris Ecclesiæ morte fuit eis allatum? Quum ad interitum Decani sui (nam is inter illos presbyterij primas obtinebat) Collegij diminutam dignitatem, séque multorum officiorũ coniunctione priuatos audiuerunt? Quem non Hispanorum modò, sed quàm latè patet, Ecclesiæ Catholicæ, Episcoporum omnium, qui in Concilio Tridentino illum audiuerunt, admirati sunt, & Ecclesiæ diuino munere datum crediderũt?

Externorũ populorum luctus ex obitu Caroli.

Quem doctissimorum in omni rerum & disciplinarum genere scriptorum: qui huic vni, vt optimo iudici & certissimo studiorum patrono, suas vigilias consecrarũt? Ecquis demum, qui Galliæ squalorem sordésque lugubres ab indignissima cæde Guysij, nunc etiam à morte Caroli fratris miseram status eius commutationem: vrbis, orbis propè terrarum, quam Guysius obsidione, ferro, flammáque semel atque iterum liberauerat, trepidationem commemorando temperet à lachrymis? Qui quum audiat Galliã in nece Guysij altera gena crudelissimè percussam ad excussionem armorum ex eius manibus: nunc etiam in obitu Senatoris optimi cæsam altera, ad animi cõsiliíque stuporẽ, ad assiduas in maxillis eius lachrimas: nullo interim existente Duce, propheta nullo prodeũte, qui eius luctum abstergat, qui eam consoletur, non itidem obstupescat? Quis, qui duabus illam consilij & armorum alis, quibus integram se cõtra vim atque potentiã Aquilæ primùm, suos postea liberos contra Draconem, sacras mensas (altaria sua) contra Draconis ministras harpyas antè seruauit, nunc truncam & ex alto præcipitem in terram: nec eam alterum Guysium, non Cardinalem alterum, qui se afflictam erigat & perditam recreet, inuenientem quum videt, grauissimè non commoueatur? Qui ad recentem eius, quam horum Principum temporibus obtinuit, splendoris & maiestatis memoriam referens oculos: & hæc nouissima, quæ

Gallia in cęde Guysij & morte Caroli ambabus suis maxillis percussa.

Gallia duabus alis, quibus antea se sustentabat, truncata.

Præsens status Galliæ cum priore comparatus miserabilior fit.

patitur ad acceptum vulnus orbitatis Camilli sui, sui Nestoris, suorum præsidiorum, quæ non aheneis muris, sed duorum fratrum, alterius literarum, alterius armorum virtutibus continebantur, cum superioribus illis conferens: Ecquis, inquam, Rex, vel in regno, supremáque Ducis cuiusquam potestate viuens, homo tam humanitatis expers est, tam de cõmunibus Ecclesiæ afflictionibus, tam de communibus miseriis securus: cui hæc dissimillima inter se comparanti, non ambæ tinniant aures? qui sibi suísque fortunis diffidere non incipiat? Qui Galliæ ademptum, & eius alienissimo acerbissimóque tempore, clarissimum hoc par fratrum, tantam & antè non repertam in duobus germanis fratribus literarũ & armorum coniunctionem ereptam non lugeat? Sed finis sit: non enim præ dolore & erumpentibus lachrimis iam loqui possum: & huc veni, dolorem vt leniam (si eius est vlla minuendi ratio) non vt augeam vestrum. Quæ priuatum mitigare possint, ea antè ferè complexus sum. Conceptum autem ex communibus Ecclesiæ catholicæ Regníque Gallici incõmodis quod augeat, aliud quidem atque aliud inuenio quotidie: quod verò leuiorem faciat, vt semel dicam, non inuenio. Non hæc fortasse oratoris culpa: temporum potiùs & magnitudinis cùm præsentium, tum imminentium proximè periculorum culpa est. Quibus nisi maturè prouideatur, verendum, ne & Regnum & Regem ipsum

pessundent. Res sensim dilabuntur, continentérque diffluunt: ruunt in peius omnia, & fiunt nouissima Galliæ peiora prioribus: adeò, vt horum attentior obseruatio, non iam de eius imperij integritate dignitatéque quā amisit, sed omnino de eius salute Ecclesiæque incolumitate ancipitem cuique mētem curámque afferat cogitandi. Ad illam ego sic oppressam sub tanto calamitatis pondere, & in eo ferendo æstuantem laborātémque ad extremum cum os & oculos reflecto: eius ex imo anhelo pectore verba trahentis, & vtraque manu supremum à Deo implorantis auxilium, miserabilem hanc vocem simul audire mihi videor: Quousque tandem, ô qui solo nutu pro arbitrio res hominum æterno moderaris imperio, me in tot & tantis rerū difficultatibus vltricis iræ tuæ furor exercebit? quem ad finē Principes, quorum præsidio salutem voluisti contineri meam, mihi auferri patieris? En ad internecionem omnes penè sublati. Tu Henricum Regem composita cum omnibus externis populis pace, & tum maximè cùm hæreticæ prauitatis factiones antè, quàm vires colligerent, erat oppressurus, omnium maximè inopinato euentu ad te reuocasti. Tu huius filium Franciscum, patris dum instituta persequitur, & ipso propè die, quàm Ambasianæ coniurationis temeritatem vlturus esset, repetisti: vt nimirum Regno ad Carolum fratrem, adhuc puerum, perueniente, domesticis hostibus (quoniam iam externi

Prosopopœia Galliæ cum Apostrophe ad Deum.

Esa. 3.

Difficillimis Galliæ temporibus Duces illius mortui.

Henrici Regis cædes.

Frācisci Regis obitus.

nulli essent)ad hæc bella commouenda plenior pateret aditus. Quæ nihilominus eo ipso, quo publicè arma sumpta sunt, anno, vt semel opprimerentur, proximum erat. At, quæ fuit offensi grauiter in me animi tui maximum indicium, Ducem & vindicem causæ meæ Guysium, per insidias interceptũ, passus es mihi eripi. Ex qua vna cæde mala hæc, quæ etiam nunc patior, omnia, doloréſque in me & meos dimanarunt. Nam etsi cum domesticis eiusmodi hostibus pacem inire mihi turpe, mihi periculosum, mihi cum illis omnino esse nõ posse videam: nescio tamen quo fato factum sit meo, vt ex eo tẽpore, nõ semel atque iterũ tertióue, sed sæpius cum illis eam pepigerim: omnia, vt eos colligerem ad me & reciperem, circumspexerim, periclitata sim, omnia mouerim, nec quicquam promouerim tamen. Sed euenerit mihi, quod æstu febríque laborantibus, qui postquam aquam gelidam biberint, primùm nonnihil releuari videntur: at non ita multò post grauiùs, quàm antea, vehementiúſque torquentur. Hei mihi quàm vereor, ne hac etiã apud te queremonia, velut admurmuratione quadam, iam plùs satis in me propter delicta offensum animum tuum exulcerem ampliùs. Tu Carolum ipsum regem (postquam sumpto de Colignio & eius sociis coniuratoribus supplicio, Ecclesiã ab omni hæreticæ doctrinæ publico ministerio & professione vacuam in libertatẽ vindicasset) antè, quàm explicari iam cœpta cõsilia

Franc. Ducis à Guysia mors.

Caroli Regis mors.

Mors Caroli Card. à Lotharingia malorũ Galliç extremũ.

Mortuo Carolo Card. publicè toto regno admissa hæresis, exorto & adiuncto ad hæreticos nouo Gallorũ perduelliũ genere.

perficeret, quàm huius belli reliquias, quod rursus proximũ erat, deleret, interuentu mortis occupasti: vnus vt mihi superesset Carolus Lotharingus Cardinalis. Quo stante, spes erat adhuc, vt aliquis tandem aliquando status rerum mearum constitueretur: vel minimùm hoc, quod ipse mihi prouidebat impendere, malorum extremum declinaretur. At hunc etiam postremùm sustulisti: post quem quid mihi tam præcipitem ab eis, qui causam meam agant, solitudinem patienti, quid miseræ, quid infœlicissimę mihi iam denique restat integrum? Quid aliud, nisi vt in Babylonem tandem abducar: quò me adigere nititur armata hæreticorum impietas? abducar! nequaquam enimuero. mori siquidẽ millies mihi potius optatiúsque fuerit, post tot clarissimos Duces, quos illi mihi interemerunt: quàm vt ab Hierosolyma sancta ciuitate domóque tua me deduci patiar. Hanc tu, quæso, voluntatem dono cœlestis gratiæ tuæ sustenta Deus opt. max. & simul tandem aliquando miserere laborum tantorum: miserere domus regníque labentis. cuius si commutationem meditaris, vti mihi tuorum consiliorum progressus minitatur, ne hoc alieno à rationibus tuis, iísque coniunctissimis meis deferas, precor. Possum ego, dum vota pro me apud te facio, non simul Francisci & Caroli fratrum Lotharingorum, pro eo ac de me bene meriti sunt, non meminisse? Quantum mihi beneficium dedisse visus es, quum hos tu mihi nasci

voluisti

voluisti! Ah quanto maius, si conseruasses! Quis enim, stante Guysio, se meum ausus fuisset inimicũ, hæreticúmue profiteri? Sed quia sic tibi visum est, salutare tuum animo patienti expectabo Domine: & simul eorum familiæ, quam vnam integrã & mihi deditissimam scio, dum officiorum tantorum perpetuam apud me fore memoriã polliceor: primùm abs te peto, vt in magnitudine brachij tui possideas filios mortificatorũ, tuearis reliquias seminis, quod in Israël occisis parentibus superest. Tum vt hoc pro interfecto in mea causa Guysio & Carolo fratre votum meum, cõmunéque bonorũ omnium accipias. Psal. 78.

PRECATIO.

Oratio Galliç & Catholicorum ad Deum pro Carolo & Duce Guysio fratribus.

DEVS bonorum Ecclesiæ pastorum parẽs & custos: qui quondam ad educendum ex Ægypto populum tuum duos fratres Mosem & Aaronem, illum armorum, hunc verbi ducem excitasti: & eidem postea in persecutione Antiochi duos itidem alios fratres, Iudam Machabæum militiæ principem, Simonem consiliorum authorem comparasti: omnino, qui ad institutionem & cõseruationem populi tui, quoad promissum illum magnũ Ducem & prophetam filium tuum mitteres, insignes prophetas, fortissimos Imperatores semper suscitasti: nisi cùm violatæ legis pœnas ab eo expetiturus vel datos auferres, vel differres excitãdos: Maximas gratias habemus bonitati

Exod. 3. & 4
2. Macha. 2.
Deut. 18.
Esa. 3.
Psal. 73.

tuæ, quòd nostris temporibus rediuiuam istorum fraternæ necessitudinis & literarum atque armorum coniunctionis imaginem in Francisco Guysio & Carolo fratre, ad Ecclesiæ catholicæ salutem & dignitatem videre dedisti. Et simul nos pœnitet vehementer, te propter nostrorum multitudinem magnitudinémque peccatorum ad iram sic prouocatum, vt in pœnam illos nobis, & alienissimo Ecclesiæ tuæ tempore, subtraxeris. Sed dum superioris vitæ emendationem tibi sanctè pollicemur, perge porrò nobis suscitare pium & fortẽ alium Ducem, aliúmque Consiliarium: quorum artibus ab ista, ad quam hæreticorum arma nos deducere iamdudum moliuntur, Aegyptiaca seruitute, impietate Antiochena reuocemur. Et simul in Ecclesia, quam per filium tuum, eius Apostolos, horúmque legitimos successores cōgregatam ad hodiernum vsque diem conseruasti, cum sincero sancti tui nominis timore & amore retineamur. Et quamuis qui antè indigni eramus, quibus hos fratres duos diutiùs cōseruares, nunc etiam nihilò magis idonei simus, qui pro illis tibi supplicemus: Ea tamen, quam de tua summa bonitate concepimus, obtinendæ misericordiæ spes inducit, vt à te postulemus, ne cum illis agas summo tuo iure, néue ad seueritatem iustitiæ vitæ rationem ab eis reposcas. Guysius quidem quòd in sanguine filij tui Domini nostri IESV CHRISTI primùm lotus sit, tũ in suo quoque proprio postea lustratus, hoc

hoc illi à te donum fuit singulare : quod cœlesti gloria vt idem in eo nunc iam cum gloriosis martyribus cumulaueris, misericordiæ tuæ confisi piè animo præsumimus, Carolo quia mors eadem non obtigit, quia persequentium gladius illum non attigit: hoc amplius tibi supplicamus, vt ei des veniam erratorum, quæ in vita tam multis implicata negotiis, tot difficultatibus impedita commisisse potuit. Et qui officio confessor, porrò autem studio laborúmque & periculorum certamine inuictus martyr extitit, martyrij palmam dignitatémque apud te non amittat. Aut illum aggreges in cœtum sanctorum, Athanasij, Ambrosij, Augustini & similiũ: quorum ille prædicandi consuetudinem imitatus est, & in exponendis scripturis doctrinam sequutus. Obsecramus, inquam, vt arctissimum hoc fraternitatis iugum & vinculum minimè dissoluas, vt fratrem à fratre non sciungas. Sed dones fratri germanum, vtrique dones alterum: vt qui in hoc sæculo cõiunctissimè vixerunt, & paribus studiis pro fide Catholica certarunt, vnà quoque apud te perpetuò viuant: & in lumine vultus tui, in quo laborum omnium periculorúmque suorum mercedem omnem reposuerũt, æternum acquiescant. Per eum, qui illos tibi in suo sanguine binos coniunxit, IESVM Filium tuũ Seruatorem nostrum: cui tecum, & cum Spiritu sancto, in omnem æternitatem sit honor, virtus, fortitudo & imperium. Amen.

Tumulus,
quem Carolus
viuēs ſibi extruxit: &
Epitaphium, quod idem
Tumulo ſuperaddidit,
adiūctis ab Eccle-
ſia Rhemenſi vi-
tæ & mortis
diebus.

Sequitur Sepulchri Effigies.


D · O · M ·
EGO CREDIDI QVIA TV ES CHRISTVS FILIVS DEI
EXPECTO DONEC VENIAT
IMMVTATIO MEA.

D. O. M.

CAROLVS S. R. E. PRESB. CARD. DE LOTHARINGIA, ARCHIEPISCOPVS DVX RHEMEN. PRIMVS PAR FRANC. S. APOST. SEDIS LEGAT. NAT. DE MORTE ET RESVRRECTIONE COGITANS, VIVENS SIBI POSVIT. ANN. M. D. LXXIII. PONTIFICATVS SVI ANNO XXXV. VIXIT ANNOS XLIX. MENSES X. DIES VIII. HORAS IIII. OBIIT ANN. DOM. M. D. LXXIIII. VII. CALEND. IANVAR. REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

Hoc Epitaphium suprà, fol. 61. pag. 1.

D. MA. GAL. VOT.

BEATISS. FRANCISCI GVYSII MANES, QVI PROFVSO IN MEA CAVSA VESTRO SANGVINE COELESTIBVS MARTYRVM CHORIS ADDITI OBTINVISTIS CONSORTES, VT ANTE TEMPORVM MALORVM, SIC NVNC PRÆMIORVM, CAROLI FRATRIS HABERE MANES; SI QVA VOS ADHVC HVIVS INFERIORIS ECCLESIÆ ATTINGIT CVRA, SI NON EXCIDIT CHARITAS, ET POTE EST IN ISTO ÆTERNO NVMINE, CVI CONTEMPLANDO TOTA COGITATIONE ESTIS INTENTI, LABORES NOSTROS SIMVL CONSPICIER; DISPICITOTE VT POST INTEMPESTIVVM A ME DISCESSVM VESTRVM SENSIM RETRO REFERRI OCCEPERIM, VT IN PEIVS RVAM QVOTIDIE, VT NO-

VIS CONTINENTER ADVORSVM NOS INSVRGENTIBVS MALIS EXIGVA RECVPERANDÆ SIT SPES SALVTIS, NISI BREVI MI-HI ADSIT SINGVLARE DEI PRÆ-SIDIVM, QVI QVEM TANDEM CVNQVE CVRSVM RERVM ME-ARVM DEDERIT, VESTRORVM IN ME BENEFICIORVM ME-MORIAM BENEVOLENTIA CO-LAM SEMPITERNA. ET QVAN-DO NVLLA NVNC IN VOS A ME EXTARE POSSVNT GRATI ET MEMORIS ANIMI MEI OFFI-CIA, EA ME VESTRIS NEPOTI-BVS QVÆ TEMPVS DEDERIT RELATVRAM HIS PAVCIS RE-SPONDEO, NE VIDEAR VOS AB EO DIVTIVS AVORTERE, APVD QVEM NOSTRI MEMORES QVI-ETI VIVITOTE, ET EIVS PLA-CIDISSIMO CONSPECTV ÆTER-NVM PERFRVIMINOR.

POSTERITATI.

CAROLO OPT. ET MITISSIMO PRINCIPI, ECCLESIASTÆ MAXIMO, OMNIVM NOSTRÆ ÆTATIS ORATORI FACVNDISSIMO, DISERTISSIMO GALLIÆ SENATORI PRIMO, ANTIQVISSIMO, CONSVLTISSIMO, CATHOLICÆ RELIGIONIS CVLTORI STVDIOSISSIMO, EIVSDEM CONTRA HÆRETICOS ASSERTORI CONSTANTISSIMO, LITERARVM ET LITERATORVM PATRONO CERTISSIMO, PAVPERVM AMANTISSIMO, QVI QVINTO GALLIARVM SVB REGE PROPHETAM AGENS STANTE GALLIA STETIT ET IPSE, EA OPPRESSA IDEM OPPRESSVS GRAVISSIME, SERVATVS TAMEN EX INFINITIS ADVERSARIORVM INSIDIIS, DVM

ECCLESIÆ ET REGNO IN LIBERTATEM VINDICANDIS INTENTVS, DESCRIPTAS RATIONES HABET OFFERENDAS REGI, QVIBVS REGNI TRES ORDINES SIC HONORIFICE COMPONEBANTVR, VT SEMEL OPPRESSVM HOC BELLVM BREVI VISVRI FVISSEMVS, AVENIONI CORAM REGE SVO EX POLONIA REVERTENTE, ET REGIA QVÆ TVM AD ILLVM INGREDI POTVIT TOTA, CATHOLICAM FIDEM PROFESSVS SVMMO BONORVM OMNIVM MOERORE DE VITA DECEDIT, MOESTIS. ECCLESIA RHEMEN. AD ÆTERNAM OPT. ARCHIEP. SVI MEMORIAM, P.

IAC. BORNONIVS I.C.
NICOLAO BOCHERIO
Doctori Theologo.

CAROLVS ille virûm columénque, decúsque bonorum,
Gloria purpurei CAROLVS ille chori,
Undique doctorum quem circunfusa Clientum
Certatim applausu turba sonabat ouans:
En fato abreptus, vix tot de millibus vnum
Accepti memorem senserat officij.
Ac veluti ignota, vilique iaceret arena,
Virtutis norat præmia nulla suæ.
Tu solus Bocheri, sortem miseratus iniquam
Illius, obscuro non sinis esse loco.
Sed vitam, & mores, præclaráque gesta retexens,
Æternúmque piis fata dolenda viris,
Carolus vt merito nunquam frustretur honore,
Et merita vt semper laude fruare, facis.

AD

AD N. BOCHERIVM, IN SVAM CAROLI ET FRANCISCI P.P. Lotharingorum de Literarum & Armorum coniunctione historiam, Ioh. Bucheri Parisini Th. B. CARMEN.

QVID vafra mens Ithaci posset, Tydidis & arma,
Senserat Argolicis Ilios vsta rogis,
Frãcigenas demum cùm inter rediuiua nepotes,
Palladij & cultu iam meliore potẽs,
In sua sacra nouos vt vidit protinus hostes,
Gannire hinc vulpes, frendere at inde lupos,
Opposuit geminos Lothareno è sanguine Fratres,
Illum Tydidæ, hunc Ithacique parem.
Quid tùm firmius hac, dum iuncto Marte Mineruæ,
Arma armis ille, hic vinceret arte dolos?
Aut quid, sorte mala Francis dum ereptus vterque est,
Ni cadit in primos Gallica Troia metus?
Nempe hæc materies, quæ te, vel poscat Homerum,
Ast vtinam, Bocheri, lætior illa foret.

IN CONIVNCTIONEM LITERA-RVM ET ARMORVM IN DVOBVS fratribus Francisco Duce Guysio & Carolo Cardinali Loth.

SENSIT vt attritas longo certamine vireis
Mars in bella sibi Gallica deficere,
Pallas & exhaustum vidit sibi penè cerebrũ,
Exitio Gallos dum parat eruere:
Nec, nisi re salua, vellent desistere cœptis,
Hoc ineunt pacto fœdere consilium:
Scilicet vt vacui tutique pericula spectent,
Dum redeat fessis, qui fuit antè, vigor:
Austrasia de stirpe legunt par nobile fratrum,
Qui dispertitum munus obire queant.
Magnanimo Heroi Francisco præmia laurus
Æternæ merito Mars sua tela dedit:
Carlo punicei scuto decorique Senatus
Mandauit parteis casta Minerua suas.
Hi iunctis pariter studiis bellique togæque,
Cum patria reges asseruere suos.

Distichon.

Quos sanguis, quos relligio, quos litteræ & arma
Iunxerunt, cælum hos iungit & historia.

N. M.

IN OBITVM SERENISSIMI AC GENEROSISSIMI PRINCIPIS Francisci à Lotharingia Rhemorum Archiepiscopi designati, Io. Buchæri Parisini

NÆNIA.

SIC visum est Superis: nec te Fortuna moramur.
Quid prosunt lacrymæ? Queis flecti fata querelis
Aut queat ira Dei? Sedenim perrumpere fletus
Cogitur, alta dum dolor vrit mente receptus,
Et sæuo inuitum pectus transuerberat ictu.
Quò te, summe Pater, quo te tuus vsque tuásque
Ad nostra armabit furor ardens vulnera dextras?
Ecquis finis erit? quæ tandem meta laborum?
Penè tribus totis vertuntur sydera lustris,
Dum vario infelix laceratur Gallia casu,
Nec requies tanto datur, aut spes vlla dolori.
Vsque adeò funus misceri funere? diris
Vsque adeò fatis Heroüm fila recîdi?
Et quemquam interea tot cernere Gallia luctus,

Tótue tuos ſiccis oculis audire labores?
Hei mihi, qualis ades! quantùm mutata, priores
Vultus & faciem, decus & virtutis auitæ
Liquiſti, truncis iam fracta & quaſſa lacertis!
Si tamen has populi poſcebant crimina pœnas,
Et noſtræ hæc fuerant condigna piacula labis,
Iam nil, ſumme Deus, querimur. tali enſe recidi
Vulnera noſtra placet. Nos miſto ſanguine flamma,
Nos maleſuada fames, nos triſtia funera vexent,
Cuncta tua in noſtras vibrentur tela ruinas,
Dum ne ſacra fides noſtris diſcedat ab aris,
Neu pereant, qui te vitáque & voce loquentes
E ſpecula ſeruent populum, & tua ſacra miniſtrent.
Iam deflere tuos Catalaunum, & plangere caſus
Amiſſo licuit paſtore. At rumpitur, eheu!
Atque alto trepidat transfixum vulnere pectus,
Dum tua Rhemorum vrbs, tua dum mihi Gallia clades,
Et caſu occurrit iactura illata recenti.
Felix ô nimiùm, tali dum ſtirpe creatus,
Purpureo latè Princeps inſignis amictu,
Qui tibi ſacra daret, qui facundæ vbere linguæ
Erigeret dictis animos, fontéſque ſacrati
Promeret eloquij, cuncta mirante corona:
Qui doctos inter mirandus, Palladis artes
Traderet, inuectis intra tua mœnia Delphis.
Qui populum imperiis, ſæuo & tueretur ab hoſte,
Totum onus ipſe ferens, diuino munere Paſtor
Affuit, & felix longæ dum tempora vitæ

Huic Deus excelsa tribuet miseratus ab arce.
At tibi, qui tantis foret, heu! virtutibus hæres,
Et Patrui iam iam succederet aptus honori,
Rhemorum quondam decus, & spes altera, cælo
Ereptus tenues transiit Franciscus ad vmbras.
Felix ille quidem, cui mors, ne tempora tristis
Cerneret hæc dudum tantos iterantia luctus,
Contulit Angelicis sociatum viuere turmis.
Sed nos ille dolor, nos ista ærumna, grauíque
Cum gemitu planctus geminato vulnere mansit,
Iactura vt nostris accederet ista ruinis.
Te Francisce, decus, te spem, Francisce, bonorum,
Tam subito periisse die! Sic lumina chara,
Et primum teneræ florem cecidisse iuuentæ!
Hei mihi, dum faciem, dum vultus hosce serenos,
Et memoror lætis verba intertexta iocellis,
Quondam etiam senium & celsam redolentia mentem,
Tum fremit, & strictis pectus compagibus horret.
Quæ virtus, quis honos, quæ sanctæ gloria vitæ,
In te quæ posita iam iam radice, perennes
Non moliretur priuo splendore triumphos?
Iam pueri cælos animus versabat, & alti
Mystica sacra Dei, iam certus sancta tueri
Pignora, iam certæ pro Christo occumbere morti.
Quæ mens, quæ pueri facies, quis feruor in ore,
Psalmata dum summo modulatur sacra Tonanti?
Quis pronus magis, aut sacris reuerentior aris?
Si libet at morum & candorem quærere vitæ,

Tum vestrum, ô iuuenes, vestrum testamur amorem,
Atque senes, quibus hæc tantos dant funera luctus.
Scilicet hos humili demissa modestia vultu,
Et pudor ingenuos referens in fronte rubores
Mouerat, ínque bonis mens læta ac splendida factis.
Illos mens hilaris, fastúsque ignara superbi,
Nescia rixarum atque odij, cunctísque paratum
Obsequium, & faciles lusus, & dulcia verba,
Munificísque manus iam læta assuescere donis.
Quid memorem studium, & tanto conamine dignas
Vires ingenij? Sed, ô immedicabile vulnus,
Iacturam & nullo reparandam temporis orbe!
Hic infausta tuos iam plangere Gallia casus,
Et potes haud ficto pectus torquere dolore.
Et vos Pierides, vos Gallo è vertice Musæ,
Iam laceræ crines, iam nudæ tempora sertis,
Cum luctu & planctu densis erumpite syluis,
Vestrum & lugubri cantu deflete parentem.
Annis quippe decem & totis vix quinque peractis,
Arcanis quicquid vestris (mirabile dictu)
Conditur, ille ardens auido penè hauserat æstu.
Nil tenue aut paruum, nil mens excelsa caducum
Quærere, non vulgi arbitrio pendere profani,
Sed qualis superas rapidè volitando per arces
Alta petens Aquila in Solem sua lumina vertit,
Grandia prensare, & rerum fastigia summa.
Graio itaque & Latio manabat lingua lepore,
Seu foret historiis virtus Romana legendis,

Siue

Siue epulas inter vitæ præcepta beatæ
Narranda è foliis, pia mentis pabula, sacris.
Seu foret in variam mutanda oratio linguam,
Seu verbis pueros, seu compellaret adultos.
Atqui nec versus deerant, pérque ipse Poëtas,
Rhetorum vt ingentes nabat sine cortice fluctus.
Donatúsque rude, & studiis defunctus abiret,
Non tenui insignis doctrinæ nomine, sed cui
Æquales inter primi ferrentur honores,
Vnica si fatis superesset tristibus æstas.
Sed nec grata tui deerant Polyhymnia cantus,
Seu numeros vellet modulari voce canoros,
Seu digitis citharam pulsare & barbiton aptis.
Digna quoque ingenio manus, isti & commoda menti,
Seu variis literas iuuat effinxisse figuris,
Seu libuit varios calamo depingere vultus.
Quàm grata interea dulci verecundia vultu,
Dum nutum obseruat, dum rectè verba monentis,
Et proprio errori matura temperat arte!
Singula quid memorem, quæ vix credenda futuris
Ipse domi atque foris toties certissima vidi,
Quorum pars nonnulla fui? Te te optime testor,
Et tantæ appello moderator summe iuuentæ,
Par ego cui nomen refero, virtutibus ipse, &
Ingenio dispar. Vos ô fidissima turba
Seruorum, domini toties intuita labores.
Vos vrbis proceres, vos doctorum alma corona,
Quorum ante ora loco dicens sublimis in alto,

Attentas tenuit fatis, heu! proximus aures.
Quæ vox, qui vultus, quæ gestus signa decori,
Quis sermo, quæ oris grauitas, quæ pondera rerum,
Mirabunda tenet sapientum dum ora puellus,
Atque regit dictis animos, & pectora mulcet?
Quis mortem interea tam prompto accedere passu
Crederet? aut iam iam deberi hæc membra sepulcro?
Sed verè hæc fuerant Cycni modulamina, vt vno
Ante diem hæc virtus totam se effunderet ictu.
Sic perit ingens spes, vt deplorata colonis
Vota iacent, segetem dum maturam obruit imber.
At vos Heroum pulchro de sanguine proles,
Munere queis magno populi Deus obtulit esse
Principibus, vestras huc iam conuertite mentes,
Et tale ad speculum faciles componite vultus.
Quid non hoc viuo potuisses Gallia? quos non
(Fata priùs sinerent longos adolescere ramos)
E tali quondam cepisses arbore fructus?
Ille erat vt magnis vadentem passibus æquans
Ingentem Patruum, simili de laude triumphos
Duceret: vt Rhemo primùm præfectus ouili,
Ipse sacros viuo reseraret gurgite fontes,
Intentus pecori. Tuus vt mox surgeret Atlas,
Qui te, qui populum tranquilla in pace teneret,
Nec præsens oneri tanto succumberet impar.
Qui Regem monitis, doctrina Palladis artes,
Iustitiam exemplo; Pietatem munere linguæ,
Auxiliis miseros, opibus seruaret egentes.

Tam

Tam pulchra sedenim virtute indigna fuisti,
Nec scelus, heu! miseranda tuum, nec Numinis ira
Impuris decus hoc terris superesse sinebat.
Neu deessent longæ morituro munera vitæ,
Quicquid vita hominum fert pulchri, quicquid honoris,
Contulerat prudens in paucos huic Deus annos.
Scilicet vt nobis migraret flentibus, & nos
Maiores premerent hoc tanto vulnere pœnæ.
Francisci toties sic Francia nomine felix,
Infelix toties Francisci morte fuisti.
At tu parte poli quàcunque electa bearis,
O felix anima, Empyreæ seu culmina sedis,
Seu te Spirituum summa chorus obtinet arce,
Insequeris virgo seu quocunque iuerit, agnum,
Huc age, lucentes & amico sydere vultus
Dirige, néue tuo mœrentes desere casu.
Sed quam corporea tribuisses mole reuinctus,
Hanc nunc defer opem cœlestibus addite mensis.

IN TVMVLVM FRANCISCI A LOTHARINGIA.

Iusserat hoc condi sua Carolus ossa sepulcro,
Te &, Francisce, suum Præsule funus agi.
Sed fera Mors, Ista at peruertam funera, dixit,
Hoc pastore tua hîc condit & ossa priùs.
Ridétque insultans. Sed fallitur inuida. nam te
Dum trahit, illius dimidium illa trahit.

Præsúlque ille tuo dum mœret funere, fundis
Ipse tibi lacrymas, Præsul & ipse tibi es.
Scilicet hoc fato (tanta est concordia mentis)
Raptus vterque perit, viuus vterque manet.

IO. BVCHÆRI P.

FR. A LOTHARINGIA
TVMVLVS.

Conditur hoc tumulo Franciscus, Guysia proles,
Francisci ingenio & nomine digna patris.
Scilicet ille armis fuit, hic erat arte futurus
Et literis vindex patriæ, amórque suæ.
Illi Mars Iupitérque, huic Musæ, Pallas, Apollo,
Vtrique at virtus dat pietásque decus.

IO. BVCHÆRI P.

INDEX MEMORABILIVM rerum, quæ continentur in hac Coniunctione Literarum & Armorum Caroli Lotharingi Card. & D. Guysij Fratrum.

A

ACademiæ Parisiensis reformator Carolus fol. 78.a
Academia Rhemensis fol. 18. b, 63. b, 91. a
Academia Mussipontana 20.a, 71.a
Ambasiana coniuratio 25. a
Angli nunc demum toto orbe diuisi 23.a
Anthonia à Borbonio Caroli mater ex longo tempore omnia ad funus suum parata babet 62. a
Arma hæreticorum longiùs, quàm in Guysium intendebant 49.b
Argumentum funebris Concionis in obsequiis Caroli IX. Regis 71. b
Auenioni Carolus moritur 81. b. & deinceps.
Aurelia à Guysio contra hæret. oppugnatur 28. b

B

D. Bartholomæi salutatio matutina 51.b
Bellis externis domestica succedunt 25. a
Bellorum ciuilium gliscẽs tumultus 25. b
Bellum, quod aperto marte primùm hæret. mouerunt 26. a
Beneficiorũ plurium possessores arguuntur 79. b
Beneficiorum Ecclesiasticorum canonicæ nominationis à Rege recuperandæ ratio 72. b
Beneficiorum pluralitas quando licita 80. a
Beneficiorum nonnullorum pluralitas Carolo ex iure concessa 80.b
Bonorũ Eccles. alienatio in causam Regni & Ecclesiæ Carolo iniustè obiecta 73. b, & 74.a
Bezæ argumenta ad cædẽ D. Guysij faciendam contra Bezam ipsum & socios faciunt 31. b
Bezæ fatum 31. b
Bononia à Gallis recepta 21. a

C

CAletũ à Guysio expugnata 23.a
Caluinistæ vnde dicti 31. b
Canonicorum Rhemensium Collegium 17.b, 60.a
Cantus in Ecclesia Rhemensi reformatio 17.b
Carolus IX. Rex infulas regni suscipiens plorat 71.b
Caroli IX. Regis mors 95. a
Caroli Loth. Card. genus, vbi natus, dotes ingenij 6. b
Caroli Lothar. personæ descriptio, victus, studia 7.a. b
Caroli vita aulica qualis, & gratia in doctos 8.a
Carolus variis linguis loquitur 8.b
Carolus cur secum plures asseclas adolesc. nobiles temporibus ciui-

lium bellorum habuerit 9.a
Carolus datur Henrico magni Regis Francisci filio 10.a
Caroli consilia in Regia vigent. ibid.
Caroli Conciones de rebus sacris 12.b
Caroli Concionum scopus 14.b
Caroli mensa 16.a
Caroli in regenda diœcesi Rhem. studium & vigilantia 15.a
Caroli salutaris admonitio ad sereniss. Princip. Nepotes 75.b
Carolus à falsis etiam fratribus appetitus 48.b
Caroli labores & pericula post interfectum Ducem Guysium fratrem 53.a, & deinceps.
Carolus vitæ suæ exitũ prædicit 60.a
Carolus quinque Regibus Galliæ seruiuit 20.b
Caroli in Henricũ regem grati animi memoria 60.b
Caroli constantia in ferendis pro regno & Ecclesia calumniis 75.a
Carolus moriens grandi ære alieno oneratum reliquit hæredem, 79.a
Carolus pacis quæ etiamnunc est cũ Hispano legatus & confector, 11.a
Carpentarius doctor med. 9.b
Catastrophe Tragœdiæ quã in Gallia egerunt hæretici 52.b
Cædes D. Guysij, & eius indignitas 29.b, 30.a
Claudiæ Valesiæ, D. à Lotharingia religiosus amor in Carol. Lothar. Card. 87.a
Claudius Dux Almalęus in obsidione Rupellana cæsus 43.b
Clericorum reformatio, officia, priuilegia, in diœcesi Rhemẽ. 15.a.b
Collegium Patricianum Rhemense 78.b
Conscientiæ stimulus & titubatio in Poltrotio 29.a.b
Consolationis loci super morte Caroli Card. 88.a

D

Dei in principes propria prouidentia 25.a
Dolus bonus 32.a
Dux Burgundiæ cæsus à D. Lotharingo in pugna ad Nancium 35.a

E

Edictum Ianuarium 47.a
Episcopos in consiliis regũ Christianorum adhiberi solenne, & cur 4.b
Epitasis Tragœdiæ hæreticorũ 50.b
Epitaphium, quod Carolus viuens sibi posuit 61.a. & 98.a
Epitaphiũ Carolo ab Ecclesia Rhemensi positum 99.b, 100.a
Equitum S. Passionis Iesu Christi instituendorum consilium 72.b
Eucharistiæ sacramẽtum recipit Carolus presente Rege 83.a
Exempla virtutum quæ Lotharingi Principes à suis maioribus habuerunt 34.a

F

Familia Guysiorum 43.b. 44.a
Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, &c. Symbolum Caroli morientis in amplexu crucis 85.b
Fidem Catholicam profitetur Carolus in morte 83.a
Francisci Lothar. designati Archiepiscopi Rhemen. post Carol. vitæ & stu-

& studiorum historia. 63.64. & deinceps.
Fráciscus Comes Lambesquius Lotharingus Gallorum partes sequutus, in pugna Papiensi cæsus 38. a
Francisci II. Regis mors 94. b
Fridericus Lotharingus Papa 45. a
Funebris oratio Caroli IX. Regis Galliarum habita à Carolo Lotharingo Card. 71. a

G

Galliæ Principum consensus ante hæreticorum aduentum 46. b
Galliæ lætitia in reditu D. Guysij ex Italia 22. b
Galliæ labores post mortuum D. Guysium 33. a
Gallia in cæde D. Guysij & morte Caroli, ambabus suis percussa maxillis 93 b
Gallia duabus alis truncata in cæde D. Guysij, & Caroli morte 93. b
Galliæ luctus per Prosopopœiã, 94. b
Galliæ votum ad Guysios 98. b
Gaspardus Colignius capite plectitur in Gallia, cùm Carolus Lotharenus est in Italia 11. a
Gaspardus Colignius hostis Galliæ designatus, & capite dãnatus, 32. b
Germani verius imperant Imperatori quàm pareant 50. a
Germanorum nostri temporis mores ex Erasmo 27. b
Gotifredus Bolionius Lotharingus creatur Rex Hierosolymorum 34. b
Gratia Caroli Card. in dicendo, & vis 13. a
Guysius Dux faciem lãcea transfixus 21. a
Guysij sex fratres in Regia, & eorum mutuus amor & concordia 40. b. 44. a
Guysius D. Carolũ V. Imperatorem fugat 22. a
Guysius cum exercitu in Italiã missus 22. a
Guysius prouinciam Bressinensem liberat 22. b
Guysiorum Principum consuetudo in adhibendo pœnitentię, & Eucharistiæ sacramento, priusquam ad bellum eant 43. b
Guysius Ianniuilla euocatur ad exercitum Regis cõtra hæreticos 26. b
Guysius in regio exercitu renuntiatus imperator 28. b
Guysij morientis oratio 33. b
Guysij quinque fratres mortui temporibus ciuilium bellorum 44. b

H

Henrici II. regis cædes 25. a, 94. b
Hæreticorum odium & turbæ in Guysios Princip. 48. a
Hæretici in Galliam vt oues ingressi, vt lupi postea & leones prædati 50. b
Hæreticorum consilia de abroganda monarchia Gallicana 50. a
Hymnos Ecclesiast. Carolus moriẽs canit 85. a. 86. a

I

Iacobus à Prato Ecclesiastes Rhemens. 17. a
Iesuitarum Collegium Mussipontanum 71. a
Iulius Cæsar literarum & armorum coniunctione præstans 3. a

Ingenij candor boni principis 78. a
Inuidia malorum bonos sæpè deterret à capessenda Republica 74. b

L

Liberalitas Caroli Card. in seruos, & seruorum in illum fidelitas 77. a. 78. a
Libelli hæreticorum de excitandis Gallis ad libertatem 52. a
Literarum & Armorum cōiunctionis locus communis explicitus 2. a. b, & seq.
Literarum & armorum coniunctio in Carolo Lotharingo Card. & Duce Guysio fratribus 5. a
Lotharingorum cum Gallis societatis & affinitatis cōiunctiones 90. a
Lotharingia affligitur cum afflicta Gallia ibidem
Lotharingorum Principum in Ecclesiam & Galliam antiqua officia 31. b. 34. a
Luctus externorum populorum in morte Caroli Card. 93. a
Lutetia Carolus fugatus, totáque Franciæ prouincia, in Campaniā 59. b
Lutetia ab hæreticis obsessa, D. Guysij subsidio liberatur 28. a
Lutheranus exercitus ex Germania in Galliam contendens intercipitur ab Anthonio D. Lotharingo 36. b, & seq.

M

Marchiani fratres Lotharingo subsidio veniunt Zaberniam contra Lutheranos 41. a
Metis à Guysio contra Cæsaris exercitum seruata 21. b
Meldensis fuga Carol. Card. 54. b
Monarchia Gallicana 50. a, & sequ. 47. b.
Mortis meditatio, & ad eam præparatio 60. a, 82. a. & sequ.
Mosis & Aaronis fraternitas cōiunctionis eloquentiæ & armorum typus 3. b
Mudonium, Tusculanum alterum 78. b
Mussipontanum Collegium 71. a
Mutationes & gradus consiliorum hæreticorum 51. b

N

Nauarræ Collegium 7. b

O

Odij hæreticorum in Guysios causæ 47. b
Orationes Caroli Lotha. Card. ad Romanos, & externos alios popul. 10. b
Oratio eiusdem in Senatu Parisiensi 11. b
Oratio eiusdem panegyrica, ibidem
Oratio eiusdem in Colloquio Pisciaco ibid.
Oratio eiusdem in Concilio Tridentino 46. a
Orationes eiusdem variæ 12. a
Oratio eiusdem moriētis ad Regem & alios Principes 85. b

P

Paludes Rhemenses in prata & hortos instructæ 18. b
Panis & vini distributionis faciendæ Cano-

Canonicis Rhemens. institutio, 18.a
Parisienses à Guysio seruati 25.b, 26.a
Paraenesis ad Lotharingos Principes 45.a.b
Pauperum hospitium Ianniuillaeum 78.b
Pauperum validorum & inualidorũ publicè alendorum ratio in vrbe Rhemensi 18.b
Pauperibus ministrat Carolus 77.a
Pauperibus pedes lauat Carolus, 91.a
Pauperibus ter publicè solitum dari Rhemis in anno prandium 91.b
Pax saepè cum haereticis inita, sed violata ab eis 33.a.95.a
Pax cum Hispano quae etiamnunc durat 11.a.24.a
Poenitentiarij institutio in Ecclesia Rhemensi 18.b
Poltrotius instruitur ad occidendum per insidias D. Guysium 29.a.& deinceps
Poltrotij supplicium 13.a
Poltrotij plures in caedem Caroli conspirant 53.a
Põtamousonium vnde dictum, 10.a
Populi cõcursus ad communionem sacra faciente Carolo 16.a
Praesidialis sedis institutio in vrbe Rhemensi 18.b
Praesidium stipatorum Carolo à Rege attributum 54.a
Precatio Galliae & Catholicorum ad Deum pro D. Guysio & Carol. Lotharingo Card. 96.a.b
Protasis Tragoediae haereticorũ 50.b
Pugna Sanquintina 22.b
Pugna contra haereticos ad Duram fluuium 28.a
Pugnae tres contra Lutheranos à D. Lotharingo in campo Zabernico 39, & deinceps.
Pugnae tres cõtra haereticos post occisum Guysium 51.b

Q

Qvadragesimales cõciones Rhemens. 17.a
Quatuor mẽdicantiũ ordinibus Rhemens. assignatae pẽsiones à Carolo 91.b.

R

Regna constant literarum & armorum coniunctione, disiunctione verò labascunt 2.a.b
Regibus quinque Carolus seruiuit 20.b
Regna dum vult Deus affligere tollit Principes quibus nitebantur 1.b
Regina Scotorum ab haeret. bello oppressa moritur 25.a
Renatus Dux Lotharingiae, idémque rex Siciliae 35.a
Rhemensis vrbs à Carolo multis aucta partibus 18.a
Rhemensis Ecclesiae decor & religio 17.a.b.62.b
Rhemensis Ecclesiae luctus per Prosopop. 92.a.b, & deinceps.
Residentia Curionum Rhemensis dioecesi. 18.a
Rex Meldis Lutetiã fugatus ab haeret. 51.a.b
Rhotomagum ab haeretic. à Guysio recepta 27.b
Romam Carolus quater profectus 10.b

S

SAcerdotes olim in Consiliis regũ Ethnicorum adhibiti 3.a.b
Sacramenti pœnit. & Eucharist. in adolescente Principe significatio admirabilis 66.b.67.a
Sanquintinum expugnata absente Guysio 22.b
Seminarij Rhemẽsis institutio 19.b
Seminariũ nominatim commendatum à Carolo moriente 19.b,91.a
Sepulchri Caroli descriptio 61.b
Seruus Caroli cæsus in fuga Meldẽsi 55.b
Sígna post mortem Caroli visa 86.b
Simon & Iudas fratres Machabæi, typus coniunctionis Literarum & Arm. 3.b
Simoniæ ab Ecclesia repellendæ ratio 72.b,73.a
Supellectilis Caroli ab hæretic. intercepta in fuga Meldensi 55.a
Supplicationes nudipedales 16.b

T

TE stante virebo, symbolum, explicatur 46.b
Testamentũ Caroli Loth.Card. 61.a
Theonuilla à Guysio expugnata 23.b
Tragœdiæ hæreticorum argumentum integrum 50.a.b
Triumuiratus 27.b
Tumulus Caroli 61.a

V

VAle postremum Regi Reginæque matri datum à Carolo moriente 84.a
Verbum Dei Rhemis purè prædicatum 16.b.1[illegible]

Z

ZAbernum bellum primum omnium, quæ contra hæret. nostri temporis suscepta sunt 35.a
Zabernum bellum tribus pugnis ab Anthonio D. Lothar. & Claudio Guysio oppressum 35.a.b. & deinceps.

FINIS.

Caroli Lotharingi Cardinalis ET PRINCIPIS CLARISS.

CONCIO: VLTIMA EARVM, quas habuit apud Sanctũ Petrum ad ſacras Virgines, Rhemis, in Aduentu, 1573. Latinè reddita à N. Bocherio Theologo.

LVTETIÆ,

Ex Officina Federici Morelli, Typographi Regij.

M. D. LXXVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

CANDIDO LECTORI
BOCHERIVS S.

HABES *exemplum Concionis, quam maximus ille Ecclesiastes & illustrissimus Princeps Carolus Lotharingus habuit anno antè, quàm è vita discessit. Parænesim continet non sacris modò virginibus, apud quas hæc habita est, sed omnibus, qui natalem Seruatoris nostri salutariter agere cupiunt, apprimè vtilẽ. Stylus temperatus est, & auditorũ animis propriè accommodatus. Non enim illud acutum & subtile dicendi & concionandi genus refert, quo ille in proposito scripturæ textu sensum literalem propriis argumentis, & ex veterũ scriptorum testimoniis exquirens tractare solebat: sed per verborum tropos & allegorias transferens orationem à recta & primùm se offerente sententia ad mores instituendos, familiariter tradit: quemadmodũ præparatis animis venientem Christum suscipere, & eidem quæ exhibere officia, debeamus. Primas quidem illius conciones de fide ferè fuisse animaduerti, temporibus scilicet ita postulantibus: quibus fides contra hæreticos erat asserenda, &*

Caroli conciones primæ de fide ferè omnes, sed posteriores de moribus.

populus in ea confirmandus. At postremo vitæ sexennio de moribus, quàm de fide, plura solitum concionari. Videbat hoc assequutos hæreticos, vt ex fidelium mentibus Dei timorem, qui eos in via morum, in omni officio continebat, excusserint. Quamobrem dicebat: quum quæ ab hæreticis in causa religionis impugnantur, ipsa per se docili Christiano clara essent, scriptis etiam & verbo satis supérque antea demonstrata: Illos vt deploratos & perditos suo morbo relinquendos esse. In instaurando autem Dei timore, & ex eius sensu cõscientiæ cuiusque restituendo modo concionatoribus insistendum. Sic fore, vt qui morum omnium parens est bonorum, ab hæresi depulsus Dei timor, sed restitutus, hæresim ipse contrà omnémque prauitatem depellat. Nam qui aliquem sibi conscientiæ modum statuat, qui animi conscientiam curet, hunc in eum errorem doctrinæ non solere labi: nec iis illum, quibus nimiùm lasciuiens luxuriánsque nimiùm conscientiæ libertas hæreticorum vitã imbuit, morum corruptelis contaminari. Omnino hęresim antecedentem habere in animo insignem aliquam, vt à vitæ superbia, aut aliqua generis huiusmodi morum deprauatione conscientiæ labem. vt hinc consequutio verborum, quibus Dominus in eos inuehitur, vera cõprobetur: Generatio, inquit, mala & adultera. Illud de moribus primùm, hoc de fide posteriùs. Cæterùm non hæc tibi proposita concio est, vt ex hac vna discas cæteras: & quasi ex optimis, quas habuit, vna sit: quanquam si illam probè retexueris, non impedio. Sed accidit, quum ille perorasset, sic auditores commouerit (hoc enim viua vox

Vnum assequuti hæretici: quod ex hominũ cordibus Dei timorem excusserint.

Restitutio timoris Dei est vnica ratio recuperandę salutis temporum nostrorum.

Matth. 16.

vox eius habuit, quod ſcripto reddi nequaquam poteſt) vt quam audiuiſſent, eandem vt legerent, efflagitarint. Hăc igitur tum ex eius verbis Gallicam quum excepiſſem, nunc demum Latinam emiſi: qua cum eiuſdem beneficiorum in omnes bonos, officiorum in Eccleſiam & Gallicum regnum grata recordatione & beneuolentia fruere.

Vale, Muſſiponti in Academia, 10. Calend. Maij, 1576.

CAROLI LOTHARINGI

Card. et Principis clarissimi Concio, habita apud Sanctum Petrum ad sacras Virgines, in Aduentu,

1573.

1. Cor. 4.

Exordium per insinuationem ab inductione similium.

SIC nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Hîc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. 1. Cor. 4. Quamuis vinitor aptissimá putandis vitibus, vel demetendis vuis falculam habeat, is tamen nisi attendat diligenter, si non præcaueat, quantò falx illa vinitoria in cote magis subacta fuerit, quantò acutior erit, tãto armatus contra digitos magis, quàm sarmenta racemósque veniet. Siquidem dum vineam maximè putare, dum castrare putabit: accidet, vt ipse sibi suos prȩcidat digitos & amputet. Idé quoque militi vsuuenire videmus. Is enim machæram in officina ad voluntatem sibi conflari prouiderit, peracutam poliri fecerit, lacertorũ viribus parem, non grauiorẽ, non

nō leuiorem, sed quam in omnes partes, vt fortuna belli ratióque feret, nullo negotio possit circumducere: tamen si tyro sit, & gladiatoriæ artis ignarus: vel artis peritia valens, si ebrius, si furiosus, aut omnino animi impotens ad arma præceps proruat, accidit ferè, vt ipse propriis occidat armis: &, quod in prouerbio est, Suo se ipse iugulet gladio. Adeò fuerit satius illum rudibus, & obtuso atque hebeti cum hoste congredi, dimicare, Dauidis exemplo, 1. Reg. 17.
funda lapidibúsque, quibus est suetus, pugnare: vel omnino arma ponere, quàm excellentibus illis instructum, absque eorum consuetudine, vel animo malè composito, ad pugnam prosilire. Equos habeat vel boues agricola, assuetos iugo in secanda sulcandáque terra: sit aratrum, aratríque dens, & vomer appositè cusus: si tamen ipse quo sydere terram vertere oporteat, non nouerit, si non equos agitare, non circumducere, si vt aratro iucumbendum, vel illud contrà extrahendū sit: si postquam lineam integrúmque sulcum duxit, equos rursus ad nouum vltro citróque reflectere minimè nouerit, is sæpè delirabit: verendúmque ei, vt quos ducere instituit, ad stiuam equi conuersi, aurigam suum funibus, quibus aratrum trahunt, vt laqueis, implicent, prostratúmque pedibus conculcent & aratro proscindant. Vt interim nil dicam eum non opportuno tempore sæpe semen in terram missurum, non sine rei familiaris dispendio: quippe nullū in vsus domus

fructum ſuo tempore allaturum. Sed quid hîc ego, quæ minima ſunt & externa, commemorem? Chriſtus ipſe ſanctificatio noſtra eſt, Iuſtitia noſtra, Dei patris ſapientia, ipſamet bonitas, veritas, & propter hominem factus homo. Hic tamen in ruinam

Luc. 2. hominum multorum poſitus eſt, tanquam petra

2. Cor. 2. ſcandali & offenſionis: quibuſdam bonus odor vitæ ad vitam, aliis ad mortem & iudicium: nec ſolùm id in fide de illo concipienda, ſed etiam in communione ſacroſancti corporis illius accidit. Si quis

1. Cor. 11. enim hoc ita, vti decet ſanctos, receperit: fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternã, datur ei arrhabo & pignus ad beatitudinem. Contra qui de pane illo indignè mãducauerit, qui de calice biberit, ſine vitæ prioris examine & emendatione, ſine cordis diligenti præparatione, reus fit corporis & ſanguinis

Trãſitio ab inſinuatione ad rem de qua concio eſt.

Domini. Quorſum verò, dicet veſtrum aliquis, hæc ſpectat oratio? vt intelligamus, quòd quemadmodum non ſatis eſt artificem nactum eſſe optimum inſtrumentum, niſi illius vſum probè nouerit: non rem, quamuis pretioſam, quemquam cõſequutum, niſi pro eius dignitate ea vtatur: ſic nullum eſſe tam liberalem famulatum, nullum tam honorificum miniſterium, quin illud ineunti ad nominis & gloriæ iacturam ſit futurũ, ſi illius obeundi fuerit ignarus: ſi Domini, in cuius clientelam ſe contulit, præſtantiam non agnouerit: nec ei ita, vti oportet, ſeruierit. Quæ quò grauiora ſunt, & ad nos propriè pertinet,

eò

cò meliore mente vos, qui huc ad me audiendum frequentes conuenistis, audire oportebit, dicentem de præparatione ad natum nobis datúmque saluatórem pro dignitate recipiēdum, tum de ministerio officióque, quod ei exhibere debemus: ne per ignorantiam officium deserendo, aut si obierimus, claudicando venientem auersemur, fiátque nobis aduentus eius in laqueum, in retributionem & scandalum. Primùm quod insignis ille Domini præcursor & præco voce, quantùm contendere poterat, in deserto clamabat, idem vobis tradimus libenter atque repetimus: Parate viam Domino, rectas facite semitas eius: omnis vallis impleatur, omnis mons & collis humilietur: sint praua in directa, & aspera in vias planas. Ecce sponsus vester venit: cui vos consecratæ virgines estis, cui virgines virgini commendatæ estis. Ecce, inquam, pro foribus est dilectus, exite obuiam ei. Is ne nos oscitantes occupet, facit, quod olim sacerdos Mosaicus. Sicut enim ille ingressurus in sancta sanctorum, trabeam induebat prætextam ad fimbrias, circumquaque pendentibus tintinnabulis, & ad motum gressúmque sonantibus, vt de ingressu populum præmoneret. Sic hodie seruator noster certiores nos antè facit per Angelum suum, quàm veniat. Sicut etiam olim patres vocibus prophetarum, tanquam sonantibus tympanis & buccis crepantibus de suo ingressu in hunc mundū, ad perficiendum redemptionis nostræ mysterium,

Argumentū Concionis.

Luc. 3.

Exod. 39.

ad exhibendum ſacrificium: quo ad vitam reparati ſumus, & in ſortem libertatémque filiorum Dei vocati. Ad hoc exemplum Eccleſia ſtatuit, vt in templis Chriſtianorum campanaria eſſent, & campanæ: In quibuſdam Eccleſiis plures, in nonnullis verò pauciores, aliæque aliis clariores, maiores, aliæ contrà minores minúſque ſonoræ, pro frequenti numero parochorum: quibus Curiones antè prouocent ſuos & inuitent ad animorum prçparationem, quàm ad preces ſolennes in templum aſcendant: & ad illud iuge, perpetuum, præcipuéque commendatum à Domino ſacrificium veniant. Audiamus igitur, quam Regius Pſaltes apud ſuos habebat, priuſquàm in templum ad ſacrificandum ingrederetur, paræneticam orationem: vt nos ad eius conſilium concionémque accincti lumbos cordis, properemus ingredi in templum ad quærendum natum Saluatorem, & inuentum pro dignitate recipiendum, eíque ſeruiendum. Pſal. eſt 28. qui licet proprius ſit ad celebrandam Dei maieſtatem ex iis, quos è ſupernis immittit, terroribus: tamen quia ſenſus ſpiritualis ſupra literalē verba & alterat & alternat (hôc tantò fortaſſe fortior compoſitio, quàm prima poſitio verborum, quantò diſtat inter vmbram & veritatem) quoniam, inquam, ſpiritualis ſenſus eſt, qui viuificat: ſeptem voces in eo pſalmo à ſpiritu ſancto propoſitas, de fugiendis peccatis mortalibus, contrà verò de colendis contrariis virtutibus

Pſal. 28.

Bernard. Sermo. 3. in Vigil. Nat. Dom.

tutibus, ad emundandas ab operibus mortuis conſcientias noſtras interpretemur. Prima vox eſt, Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas. Altera, vox Domini in virtute. Tertia, vox Domini in magnificētia. Quarta, vox Domini confringentis cedros, Quinta, vox Domini intercidētis flāmam ignis. Sexta, vox Domini cōcutientis deſertum. Poſtrema, vox Domini pręparātis ceruos. Has, inquit Dauid, Domini voces poſtquam audiueritis, & ad earum conſilium vos cōpoſueritis, tum Afferte Domino vos ô filij Dei, afferte, inquam, Domino filios arietum. Afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius. Adorate Dominū in atrio ſancto eius. Tum in templo eius omnes dicatis gloriam. Quum enim ſic paratos & orātes Dominus de cœlo ſancto ſuo reſpiciēs in terram viderit, veſtri miſerebitur, virtutem populo ſuo dabit, benedicet populo ſuo in pace. Atque vt nonnihil de ſingulis vocibus eo, quo ſunt ordine propoſitæ, dicamus, Tres cathedras obſeruemus, ex quibus Seruator noſter conciones habuit: Priorem in aquis, alterā in præſepio, tertiam in cœlo. Ad has ex vna in aliam (ſicut in ſcholis diſcipuli, ex inferiore claſſe ad ſuperiorem) gradatim aſcendamus & promoueamur: vt ſic de virtute in virtutem proficiētes, non in præſepio pauperem modò, ſed in cœlo regnantem videre audiréque mereamur. Spiritus, inquit, Domini ferebatur

Quid ſeptē voces ī pſal. 28. nuntient & concionentur.

Eodem pſal. 28.

Tres cathedræ, ex quibus eſt concionatus Dominus.

Gene. 1.

Primę scholæ cõciones septem: quibus ad pœnitẽtiam & exercitium bonorum operum excitamur.

super aquas: & hîc, Dominus super aquas multas: super aquas angustiæ & tribulationis, vt de illis assumat nos, priusquàm absorbeamur: super diluuium aquarum multarum, vt quum illæ intrauerint vsque ad animam nostram, de aquis illis multis, de profundis earum vorticibus nos educat, illas nos pertransire faciat, nos denique saluos & incolumes ad portum salutis prouehat. Dominus, inquam, ex alueis aquarum pœnitentiæ concionatur contriti cordis sacrificium: cordis, quod ex sensu cognitiónéque peccati sui & apprehensione iustitiæ diuinæ totum effunditur & liquescit in aquas compunctionis, & recogitans annos in amaritudine animæ suæ, fontes aquarum deducit in oculos, quibus per singulas noctes lectum suum lauat, stratum suum lachrimis rigat: & peccata sua, quanquam rubra, sicut vermiculus vel coccinum, ea tamen supra niuem, supra lanam dealbat. Hactenus præparationis nostræ ad ingressum templi gradus primus fuit. Vox altera de virtute, quæ omnium princeps est & regina, concionatur. Vox, inquit, Domini in virtute: iustitiam per excellentiam virtutem appellans, quòd hæc virtutes omnes in se contineat: quando vnicuique reddit, quod suum est: nimirum quæ sunt Dei, Deo: quæ proximi, proximo: omninóque quæ sunt animi propria, tribuens animo: quæ verò corporis, corpori. Qua ratione omnẽ implet iustitiam. Hac igitur Domini voce monemur, vt ad summa

Prima Vox.

Esa. 1.

Secunda de iustitia & tẽperantia cõcionatur.

nita-

nitamur, vt ad perfectum tendamus: vt virtutum omnium bonis odoribus afflati & aspersi, occurramus in hoc natali die Domino nostro, eíque in vestitu deaurato adstemus ad omne officium prompti & alacres. Porrò autem si virtutis nomine temperantia, contra peccatum gulæ, nobis hîc commendetur, attentos nihilosecius ad hanc vocem nos præbeamus: quippe quæ illustrem doctrinam habeat de formandis instituendísque moribus nostris. Hæc enim primùm præcipit omnes nostras actiones ad rationis præscriptum esse temperandas, vt eam neque præcurrant neque deserant, sed ducem magistrámque sequantur: tum vt temperantes simus in cibo & potu, tantùm cibi & potus sumentes, quo vires reficiantur, non opprimantur: quo foueantur, minimè verò grauentur crapula & ebrietate. Nam hoc quoque præcipiunt medici: quando quæ alimenta ad temperantiæ modum sumuntur, ea faciliùs coquuntur, vertuntúrque pleniùs in naturam alendi corporis: vegetum, & ad naturales actiones habilius corpus reddunt, natiuóque colore splendidum atque illustre. Sunt illæ præcipuæ huius virtutis laudes, quas Christiani celebrant, & verò etiam Ethnici. Sed Christiani nominis professio & dignitas maius quiddam ad meritum à nobis exigit: nempe vt genium nostrum fraudantes, vnciatim de demenso comparcamus, atque de cibo & potu nõnihil detrahamus, quod in pauperum alimoniam

Tertia vox concionatur de beneficẽtia & fraterna charitate. impendamus. Tertia vox pro beneficentia contra auaritiam & sordiditatem declamat. Vox, inquit, in magnificentia: nimirum vt charitas fraternitatis

Hebr. 13. maneat in nobis, hospitalitatis nõ obliuiscamur:

1. Petri. 4. sed quam quisque gratiam à Deo accepit, illam in alterutrum, tanquam boni dispensatores multiformis gratiæ Dei, administremus. Egenos nostris opibus subleuemus, nudos operiamus, esurientes pascamus, sitientibus potum demus. Nam si sic fecerimus, bona spes est, vt qui potens est hoc præstare,

2. Cor. 9. Dominus augeat incrementa frugum nostrarum: & quę in arcis, quę in horreis reposita sunt, multiplicet: hoc maximè caritatis annonæ tempore: quo, si vllo vnquam, benefici & liberales esse debemus: quóque amplificatio rei familiaris ex incõmodo pauperum fugienda. Quamobrem, ô ciues amantissimi, qui huc interuenistis, operæprecium me facturũ existimaui, si vos commonefacerem, vt pauperum, qui in hac vrbe quamplurimi ostiatim mendicant, misereamini: & ei, quam de illis alendis viam vobis aperui, sollicitè mecum intendatis. Hoc scientes, quia quòd vni ex his minimis feceritis, hoc vos pro illis sponsori Deo exhibituros. Septimum iam propemodũ annum sterilitatis patimur, quo terra nostra non, sicut antea, reddit fructum cum fœnore: quod non aliunde, credo, contingit: quàm quòd ipsi, quum abundamus, tenaciores simus rerum nostrarum: vel eas ad voluptates & delitias profundam⁹. Curemus

 igitur

igitur iram Domini iis, quas in pauperes conferemus, benedictionibus placare, eumdémque prouocare ad aperiendam manum ſuam, quæ impleat nos ſolita benedictione. Ad aperiendum theſaurum ſuum, cœlum nempe, vt de rore ſuo influat, det pluuiam terræ in tempore ſuo: quibus impinguata proferat, ſicut antea, vberem, & ad alendos ſuos incolas ſufficientem fructum. Quarta vox, de humilitate, contra ſuperbiam concionatur: Vox, inquit, Domini confringentis cedros: vox conterens, proſternēs, & domans tonitruis, fulgetris, nimbis, tempeſtatibus peruicaces, adeóque qui ſuæ maieſtati debitū imperium honorémque detrectant. Vox, inquam, Domini fortis, confringens proceriſſimas libani cedros, comminuens eas & ſubſilire faciens, tanquam vitulum libani. Ad hanc Domini vocem, tam potentem, non obduremus corda noſtra, humiliemur ſub potenti manu illius: vt exaltet nos in die viſitationis. Hoc ſcientes, quòd ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam. Non putemus nos eſſe aliquid, quum nihil ſimus, nos ipſos ſeducentes. Præpoſitis noſtris debitum honorē impendamus: nulli nos æqualium, quibuſcum nobis vita victúſque cōmunis eſt, inſolenter præferamus. Imò ad omne obſequium, ad omnia mutuæ charitatis officia ſedulò parati ſimus. De bonis, quæ ipſi à Deo accepimus gratias potiùs largitori referamus: quàm vt noſtris meritis illa tribuentes, aliis paupertatem, morbos &

Quarta vox de humilitate.

1. Petri. 5.

Galat. 6.

afflictiones, in quibus illos exercet Dominus, tanquam probrum obiiciamus. Vox quinta, de mansuetudine, contra tumidos irarum fluctus & incendia præcipit. Vox, inquit, intercidentis flammam ignis: nimirum quia naturæ hominis ea deprauatio est & corruptela, vt ad sumẽdam de accepta iniuria vindictam toto impetu statim proruat, præcépsque sine consilio, sine iudicio feratur: cohibeamus nos, æstum sanguinis circa cor ebullientis temperantes infusione sanguinis Christi: dimittamus aliorum in nos debita, sicut quotidie nostra à Deo nobis dimitti postulamus. Qua, quæso, fiducia potest is Dominum interpellare in oratione Dominica, vt sibi dimittat, qui patitur non solem modò super iracũdiam suam occidere, sed in multos dies & annos eam protrahit? sed inueteratam, sed in venis & medullis penitùs insitã tamdiu fouet, quoad sitim appetitionémque vindictæ, qua miserè cruciatur, expleuerit? Nos verò melioribus præceptis instituti, ad hanc Domini vocem nos componamus: dimittamus, vt dimittatur nobis. Absit vt dicamus, dentem pro dente, oculum pro oculo: sed benefici simus in eos qui nos offenderunt: nec priùs ad altare ad offerendum, sed ne in templum quidem ingrediamur, priusquàm cum proximo in gratiam redierimus. Vox penultima, pro vbertate & copia bonorum operum, contra ieiunitatem & inopiam declamat, Vox, inquit, concutientis desertum: vox vastas

Quinta, de mãsuetudine morum.

Matth. 5.

Sexta de bonorum operum exercitio.

vastas solitudines & antra immania, vacuas speluncas magna vi, magno impetu conterens vehementíque spiritu disrumpens: hoc est improborum mẽtes gratia Dei, spiritu veritatis, bonis operibus inanes despiciens: eas contrà replens spiritu mendacij, spiritu horroris & angustię, spiritu indignationis, cõpũctionis & zelotypię, spiritu vertiginis, spiritu pythonico & nequam: qui eas miserè laniet, vexet, & discerpat. Nam hominis animus nónne receptaculũ est rerum omniũ, præcipuéque bonarum? An non humanæ mentis ea vis est & capacitas, vt apprehẽdẽdo res cõplectendóque atque intelligẽdo non solùm recipiat omnia, eáque fiat quodammodo, sed ea apud se, velut hospitio excipiat? Constet igitur hîc, deserti nomine, improbi hominis mentem & conscientiam significari, vacuam desertámque virtutum comitatu & hospitio. Hæc enim licet in omni rerum copia viuat, plena penu, plena area, plenis loculis arescit: tamen anima pabulo destituta, fit eius habitatio deserta, & in tabernaculis eius nõ est qui inhabitet. Non enim ad eam ingrediuntur salutares cogitationes: non amicorum aut viuentium, aut mortuorũ memoria & gratia: sed malæ bestiæ, immanes feræ eam incolunt. Hanc maleficiorum memoria stimulat, hanc metus iudiciorum exanimat. Hæc quocunque aspicit, vt furiæ, sic ei occurrunt veteres iniuriæ, quæ eàm minimè respirare, non cibum capere patiuntur. Absit vero, ô Virgi-

Hominis improbi mẽs deserto comparata.

Psal. 68.

nes Deo cõsecratæ, vt in hoc cœnobio, velut deserto, viuentes, eiusmodi desertis similes inueniamini: ne vox Domini vos sic malè cõcutiat. Absit vt similes sitis sepulchris dealbatis, quæ à foris patent speciosa, intus verò vacua sunt, aut plena ossibus mortuorum: absit, vt à foris pateatis religiosæ, intus verò desertæ & sine religione, plenæ hypocrisi & inanitate bonorum operum. Ad quod bonorum operum exercitium postrema vox Domini præparantis ceruos, nos plurimùm excitare debet: quippe qua desides & in peccatis suis, velut vnctis cubilibus indormientes, minis, tormentis, inferno, ad vigilias & fructus faciendos dignos pœnitentiæ, non aliter excitat, quàm ceruam: quæ quamuis difficillimè pariat, fœtus tamen in corpore conceptos aboriri præ metu cogit, & eos ante tempus emittere. Atque hactenus de septem Domini vocibus. Vbi fortasse dicetis: Nos illas quidem libenter audiuimus, sed ad earum maiestatem, seueritatémque terremur: sicut Adam, qui cùm vocem Domini audiuisset in paradiso timuit & abscondit se à facie eius: sicut & Israëlitæ, qui cùm audirent voces, lampades viderent, sonitum buccinæ, montémque fumantem, perterriti & pauore concussi steterunt procul, dicentes Moysi, Loquere tu nobis, & audiemus: nõ loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Sic nos timemus accedere ad Dominum, horrendis illis vocibus tonantẽ, fulgurantẽ, confringentem, cõminuentem

Matth. 23.

Septima, de timore Dei.

Transitio à prima schola in aquis, ad scholam in præsepio.

Exod. 19. Hebr. 12.

nuentem cedros, concutientẽ deserta, intercidentẽ flammã ignis, in omni demũ virtute & magnificentia incedentem. Absit autẽ, ô charissimæ filiæ, vt sic terreamini, & venire timeatis in conspectũ Domini. Nam si primã illam in aquis scholam reformidatis, ex ea venite in alteram, quæ est in præsepio. Nam nil hîc superioribus simile auditur: non intonantis vox, sed vagientis: non in virtute venientis, sed infirmitate: non in magnificentia, sed paupertate & penuria rerum omnium: non confringentis cedros, sed portantis super humeros imperium suum: non intercidẽtis flammam ignis, sed placidi & mansueti: non concutientis, sed subleuãtis. Vagit infans, cuius vox magis miseranda, quàm timenda: aut si fortè terribilis, sed non tibi. Paruulus factus est, tenera membra sunt, & virgo pannis eum inuoluit, & tu aufugis? tu trepidas accedere? Sed quid infans in hac schola concionatur? Needum loquitur lingua, & de mundi contemptu locus & vestitus eius concionantur cõtra superbos & mundi huius amatores, Tibi prædicat, Fuge voluptatẽ, quia posita est mors secus ingressum eius: age pœnitentiam, quia per hanc appropinquat regnum Dei. Hoc tibi prædicat stabulum, hoc tibi præsepe clamat, hæc tibi infantilia membra loquuntur, hoc vagitus & lachrimæ tibi euãgelizant. Fugis ab eo, & ecce in cruce affixus stat, expectans te ad pœnitentiam expassis vlnis. Esto huius scholæ diligens auditor, vt demum ad

Si ad priorẽ illam scholã Domini timeas accedere, quòd ea sit terribilis, veni ad alteram in præsepio, humanam reperies.

Dissimilitudo primæ scholæ & secundæ.

supremã, ad quam beati promoueri meruerunt perducaris. Sed de præparatione institutioneq́; , quibus ornatæ Christo nascenti occurratis, dicta sufficiant. Quid reliquum est, nisi vt sic cõpositæ, sic in ministerium præparatæ, quale officium singulæ nato exhibeatis, dicam? Ministræ primùm & dispensatrices estis ministeriorum Dei: sed à vobis quæritur, vt fideles inueniamini. Ego, inquit, seruus tuus, ego filius ancillæ tuæ. Nos multis nominibus Dei serui sumus, quippe ab eo ex informi vilíque limo terræ facti. Esaias concionatur Iudæis, vt attendant ad petram, vnde excisi sunt: ad cauernã laci, vnde præcisi: ne de generis excellentia supra gentes glorientur, quando & ipsi ex eadem crypta cretosa, sicut & gentes, excisi sunt. Lapis, qui artificis arte, industriáque singulari complanatus est, lęuigatus & politus, postmodùm in aspectum ad decorem domus loco speciosiore, spectantium oculis obiectus, ex eadem cretaria, qua cæteri, rudis, impolitus & scaber primùm excisus est. Quid ergo amplius Iudæo est? An non omnes natúra Dei serui sumus? An non omnes eundem Dominum habemus, qui fecit nos? Est autem magis propriè dicta seruitus, quæ iure gentium introducta est: vt qui bello capti essent, bellíque iure occidi poterant; à victoribus tamen conseruati, postea seruatoribus perpetuam seruitutem iurabãt. Quo etiam nomine Christi serui sumus. Nos enim Sathanas in ergastulo cõpeditos vinctósq́; tenebat.

Transitio à prima parte concionis ad secundam, de officiis quæ nato Christo exhibeamus.

Psal. 115.

Dei serui sumus, Creatione, Iure belli, Emptione, Pacto.

Esa. 51.

At mulieris benedictum semen, cum eo prælium commisit. Draco pugnauit & angeli eius, sed non valuerunt, sed victi sunt: Et nos parta victoria, de manibus Sathanæ liberati, acerbissimóque illius seruitutis iugo exempti, Christi postea serui facti sumus. Quid dicam nos etiam emptionis iure eiusdem seruos esse: An non ille quod habuit summum pretium, pro nostra redemptione persoluit? Nónne nos à primo parente venundati eramus Sathanæ? Ergo, inquit Paulus, carnalis venundatus sum sub peccato. Et Esaias, Ecce in iniquitatibus vestris venundati estis. At redempti sumus pretio magno. quo? non corruptibili, vt auro, vel argento, sed pretioso sanguine agni immaculati Christi & incontaminati. Postremò nos etiã ex pacto eiusdem serui sumus. Pepigit Dominus fœdus cum Abraham, se scilicet daturum terram Chanaan, illíque se fore in Deum si Mesopotamiã patriam relinquens, se sequi vellet. Semini, inquit, tuo dabo terram hanc, & in semine tuo benedicentur omnes gentes. quod pactum sigillo circuncisionis vtrimque obsignatum est & confirmatum. Quid verò nos? nónne in baptismo Christo nomen dedimus? nónne iurauimus in verba illius? Nónne quærenti ministro, vellemúsne abrenuntiare Sathanæ & pompis eius, respõdimus, abrenuntio? in eum credere, dederéque nos: illi respondimus, credo? Ecce ex verbis tuis, Christi seruus factus es: & ipse mercedem tibi pol-

Apoc. 12.
Rom. 7.
Esa. 5.
1. Petr. 1.
Genes. 12.

2. Cor. 5. licitus est, vitam æternam, quam cuique reddet, prout gesserit in corpore suo, siue bonum, siue malum. Quamobrem clamemus ad Dominum: O Domine, quia nos serui tui sumus, quia nos serui tui & filij ancillæ tuæ, disrumpe vincula peccatorũ nostrorum, vt sine timore de manu inimici nostri tibi seruiamus in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ. Da vt bonorum tuorum fideles dispensatores simus. At quorum bonorum? nimirum triplicium, Animæ primùm, vt eam castam, sanctam & impollutam tibi seruemus: tum corporis, vt exhibeamus corpora nostra hostiam viuẽtem, sanctam, tibi placentem, rationale obsequium: tum fortunæ, cuiusmodi sunt opes, quas à te accepimus, vt earum pauperes participes faciamus, eísque vtamur tanquam instrumentis ad bene merendum apud te & homines. Quum igitur his tam multis modis Christi serui simus, vos ô dilectissimæ filiæ, intelligite nunc demum, quæ ei adhuc infanti officia exhibere debeatis. Ea verò, vt breuiter complectar, septẽ numero sunt: quæ populariter vobis proponam, sicut Dominus præcepit Esaiæ prophetiam suam populo proponere, stylo scilicet hominis. Primum est curã habere lintcariæ supellectilis: nempe vt fasciæ & vittæ sint integræ, non pædore, squalore, puluere, nullis denique sordibus sint obsitæ. Quum verò erunt immundæ, eas detergere, lixiuio abluere. Nã in primis hoc medici salutare dicũt, si mundities

Apostrophe ad Deum.

Dispensatores sumus tripliciũ bonorum, animi, corporis, fortunæ.

Rom. 12.

Septem officia exhibẽda sunt nato Christo. Cap. 8.

Primum officium, quod ad contritionem & eius socias confessionẽ & satisfactionẽ pertinet.

adsit

adſit in veſtitu: quando panniculorum marcor, linteorum fœtor, per infantuli rariſſimam cutim poróſque facilè penetrant, afflántque in interiora, & tenellum infantilis corporis habitũ inficiunt & deprauant. Sed agè, quænam ancilla hoc officium naſcenti puero exhibebit? Contritio aptiſſima occurrit, quæ peccatorum acerbiſſima recordatione pungens interiorẽ hominem, educit ex oculis fontes aquarum: vbi aſperſa cinere, & ſacco penulata, lixiuium conficit, ſordes eluit, & ſuper niuem candidiora reddit infantis incunabula. Sed contritionem ſolam eſſe bonum non eſt, vt pote huic toti officio imparem. Nam & abluta lixiuio lintea, quoniam adhuc humida, ad ignem explicare, & explicata exſiccare neceſſe eſt. Demus igitur ei adiutorium ſimile ſibi. Omnium verò aptiſſima confeſſio erit & ſatisfactio: quarum confeſſio contorta penéque contrita lintea & implicata explicabit: vt per omnem, quantæcunque ſunt, latitudinẽ, vſquequaque ſiccentur. Explicata verò ſatisfactio ſuſtinebit, & durabit ad ignem ardorémque operum pœnitentię, quoad planè ſiccentur, quoad conſtiterit eſſe tecta ſibíque remiſſa peccata. Alterum officiũ ſit, infantulum ad cunas dormiturũ deportare. Nam & infantes hoc habent, vt maiorem temporis partem dormiendo tranſigant. Ad hoc meditatio idonea fuerit; quippe quæ ſecedere ſolita ſit in cellam, vnde vox nulla, nullus hominum concurſus, nõ crepitus

Officium ſecundũ, quod ad meditationẽ & ſociam charitatẽ attinet.

pedum, non rotarum strepitus, qui mentem auocet, qui dormientem puerum excitet, possit exaudiri. Vbi in consideratione operum Dei assidua sic Deū contemplatur, vt præsentem: sic illum animo concipit, vt oculis subiectum videre videatur, sic denique per fidem erigitur, quasi in eum transformetur, vt non iam terreni, sed cœlestis portet imaginem. Cauendū verò ne deportanti excidat infans: quamobrem charitas meditationi subseruiat. Hæc enim pede firma non cespitat, non incerto pede fertur, nō agit perperam, nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Hæc in vlnas receptum puerum in cœlum secum effert: quò secura ingreditur, duabus comitibus, fide & spe, ad ingressum extremū vale dicentibus & abeuntibus. Porro autem custodes designandi sunt, qui cellam in qua puer dormit, ad custodiam circunstent. En lectulum Salomonis 60 fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum, propter terrores nocturnos. Hîc non minore studio excubiæ faciendæ. Nam Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit puerum ad mortem, & eos, qui eius esse censentur ad cribrum. Quamobrem his vigiliis præficiamus animi fortitudinem, quæ se Sathanæ conatibus opponet, insidias dissipabit, vires profligabit, sensuum quinque (quos inimicus illecebris circumuenit, vt per corruptos, velut

1. Cor. 13.

Tertiū ministerium quod ad animi fortitudinem & adiutricem fidem atque zelū domus Dei pertinet.

Cant. 3.

velut per muri ruinas, in animam, in conſcientiam noſtrã ſibi viam aperiat) aditum occupabit, & oſtio peſſulo dato vias intercludet: eoſdémque languentes & ſopitos ad cuſtodiam ſic excitabit, vt puero nil timendũ ſit à dæmonio meridiano, nil conſcientiæ noſtræ à ſagitta volante in die, nil à negotio perambulante in tenebris, nil denique ab his, quæ vel diu apertè intentantur, malis, vel quæ noctu per inſidias inſtruuntur periculis, formidandum. Propter quam etiam cauſam pueri cunas ſuperinducto velo obtegit: virginis Deo ſacræ, omninóque pudicæ mulieris vultum operit, impoſito capiti flammeo atque integumento, propter angelos, ne ſcilicet videantur ab hominibus. Sed vt miniſtris ſuperioribus in ſubſidium ſocias dedimus, ſic fortitudini demus, vt exercitu collecto plus inſit ad ſuſtinendum & aggrediendum confidentiæ & roboris. In primis aderit fides: quando per eam Sancti vicerunt regna, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum. Et hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis enim eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Ieſus eſt filius Dei? Aderit etiam his excubiis zelus domus Dei: quo tanquam ſpiritu intus agitante fortis inflammatur ad aggredienda pro aſſerendo Chriſti nomine pericula, cruces, fundendum ſanguinem, nedum pecuniam, nedum in diſpenſatione miniſteriorum Dei fidem, in rebus Eccleſiæ tractandis laborẽ & diligentiam. Siquidẽ

Pſal. 90.

1. Cor. 11.

Heb. 11.

1. Ioan. 5.

zelus domus Dei inflammatus odio facientium iniquitatem & meditantium insidias aduersus Dominum & aduersus Christum eius, pernoctat & lustrat omnia, quocunque circunferens oculos, si quas quisquam componat insidias, vt occupet, vt eas patefaciat. Stans ille pro foribus meditantis animæ,
Cant. 2. Adiuro, inquit, vos ô filiæ Hierusalem: adiuro, inquam, vos ô curæ & solicitudines huius sæculi, per capreas ceruósque camporum: ne suscitetis néque euigilare faciatis dilectum, donec ipse velit. Increpat acerbè, sicut Dauid, ignauos regij tentorij excubi-
1. Reg. 26. tores, desertores Christi. Viuit, inquit Dominus, quoniam filij mortis estis vos: qui non custoditis
Quartum ministeriũ, quod orationis est, ac ei adiunctæ deuotionis. Dominum vestrum, Christũ Domini. Sed quoniam somno, vt cibo, ad mensuram vtendum est: vbi puer abundè satis dormierit, oratio illum expergefaciat, eadémque ad ignem puerum denudet, & cantillando sopitos sensus erigat & exhilaret. Illa manè aures erigit, vt audiat quasi magistrum: num serò, vel manè, an gallicantu euigilabitur. qui si moram fecerit, exurge, clamat, quare obdormis
Psal. 43. Domine? exurge, & ne repellas in finem. Ecce mo-
Matth. 8. tus factus est magnus in mari, adeò vt Ecclesiæ tuæ nauicula fluctibus operiatur. Præceptor exurge, & salua nos, perimus. Huic adiutrix adsit deuotio: quæ aquis religionis semina bonorum operum, nouellas plantationes irrigat, vt non arescant, vt holocaustomata cordium nostrorum pinguia fiant: non

aliter

aliter, quàm Aaronis ſacrificium quotidianũ, quod ignis abſumebat, hoc iudicio, vt opera bona feruore deuotionis condiamus. Deuotio purè ſemper ac ſtrenuè intereſt diuinis laudibus, reuerenter Deo aſſiſtit & alacriter, non ſomnolenta, non oſcitans, non parcens vocibus, non præcidens verba dimidia, non integra tranſiliens, non fractis & remiſſis vocibus, ſed ſonitu & afflatu voces Spiritui ſancto depromit. Quod etiam ſordium prouectus & excretio naturæ neceſſitate proueniant, ſintque infantes lachrimoſi, aſciſcenda commiſeratio, quæ ſordidulum detergat, quæ lachrimas ſiſtat. Anima, inquit, mea liquefacta eſt, vt dilectus meus loquutus eſt. Si lachrimatur, virgineũ conſolationis lac infundit, pleno vbere incubat paruulo, vt lactet. Vbi quem animo fractum, perculſum mœrore, afflictũ atque proſtratum viderit, huic condolet, huic manum porrigit, erigit & recreat. Sit ei adminiculo perſeuerãtia, ſine qua, qui puero miniſtrat, mercedem non reportabit: ſicut nec, qui in agone contendit, niſi conſtanter & ad extremum certauerit, coronabitur. Hæc virium vigor, virtutum conſummatio, nutrix ad meritum, ſoror patientiæ, conſtantiæ filia: ſine qua nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam: denique non qui cœperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Non dimittam, inquit, qui panem petit ab amico, donec benedixeris mihi. Ad quam vocem

Quintum miniſteriũ, quod commiſerationis eſt, & ei annexæ perſeuerantiæ. Cant. 5.

Matth. 10. & 24. Luc. 21.

ſurgit, & quanquam ægrè, propter importunitatem tamen aperit commodátque, quod inſtanter ab eo petitur. Sed nunquid hæc ſatis multa ſufficiunt, quæ de officiis in educatione pueri hactenus præcepimus? Nequaquam enimuero: nam infinita ſunt, quæ ei debemus. Ne tamen ſingulorũ enumeratione tædium pariat hæc cõcio, vbi ex multis duo adhuc, ſicut me facturum recepi, propoſuero, finem fecero.

Sextum miniſterium, quod ad obedientiã pertinet.

Agedum poſtquam puer matrem riſu cognoſcere, ridentibus leniter arridere cœperit, & ſuauiſſimæ lucis aſpectu gaudere, ad ludum deportandus eſt. Has partes ſuſtinebit obedientia: quando hæc nunquam ab officio diſcedit ad quietem, niſi dimiſſa: quicquid iuſſa facere, facit: quocunque vocatur eò non cũctando ſed ſedulò procurrit: vnde euocatur, ſtatim accurrit. Dicat Dominus, vade, vadit, veni, venit: denique ſi quid iubeatur, in omnibus obſequi parata. Magna omnino, chariſſimæ filiæ, virtus eſt

1. Reg. 15.

obedientia: quippe quæ Domini teſtimonio melior ſit, quàm victimæ multę: in his potiſſimùm, qui cum propriæ voluntatis eiuratione, obediẽtiæ ſacramẽto ſeſe deuinxerunt. Sed quæ adhuc enumerata ſunt officia ſex, ea ſingulis religioſis virginibus cum

Vltimũ miniſterium, quod ad Abbatiſſam propriè pertinet, vt ſit nutrix.

Abbatiſſa communia ſunt. Hoc verò, quod poſtremùm ſequitur, ad Abbatiſſam propriè pertinet. Alendus eſt demum infans. Eſuriui, inquit, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere.

Matth. 25.

Nutricis hoc miniſterium ſit, vt de pappa ad infantis alimo-

alimoniam prouideat. Sumet igitur Abbatiſſa fermentum: quod abſcondet in farinæ ſata tria, donec fermentetur totum. In quaque menſura farinam aqua in maſſam ſubiget. Sed quænā primæ menſuræ pappa? quæ maſſa? noſtræ ſit creationis beneficium perpetuáque illius memoria. Quod Abbatiſſa ſecum priuatim in cella precatoria meditabitur, quo ipſa paſcetur: tum illud ipſum ſuis franget & communicabit. At quomodo franget? Deum nimirum initio animā in ſatum farinæ corporeæ abſcondiſſe & infudiſſe, in eóque ſpiraſſe ſpiraculum vitæ: vnde factus homo in animā viuentē prodiit. Huius beneficij cōtemplatio nutrit animam, & tantæ tam diſſimilium rerum admixtionis admiratione ſuſpenſam rapit in amorem tanti piſtoris. Agnoſcit in hac piſtrina ſuam ex vili limo humilitatem: præſtantiam verò ex ea, quam habet cum Deo propter rationis vſum, ſocietatē. Agnoſcit charitatem: quando videt animam corpori, quamuis inferiori, vitam, ſenſum, motum, omnéſque vitales atque animales facultates communicare, aliter longè quàm huius ſeculi homines: apud quos qui poteſtatem habent, præualent, & humilibus vtuntur pro arbitrio. Conculcat fortis minùs fortem, ridet ſapiens indoctum, ſimplicem fallit aſtutus. Atque hic primus panis eſt, quo Abbatiſſa & ſe & filias ſuas reficiet. Venit autem malus homo, venit inimicus Sathanas, qui hanc bene fermentatam maſſam in azimis ſince-

Luc. 13.

Alimenta, quibus ſe ſuáſque Abbatiſſa debeat alere: quorum primū eſt meditatio beneficij creationis, alterum reparationis.

Fermentum abſcōditum in ſato farinæ primo, corpori immixtam animam ſignificat.

ritatis & veritatis, immixto nequitiæ & malitiæ fermento, totam infecit: & pro pane solido furtim sublato, fructum crudum reposuit, quo homini vtendum persuasit. Vnde alui solutiones dimanarunt, lienteriæ, ventris tormina, sanguinis fluxiones, diuinæque similitudinis in homine deformatio, & societatis, quam cum Deo habebat, diremptio. Sed quid erit Domine Deus? nunquam reponetur opus tuum? nunquam panis alius, nunquam noua commixtio rursus nobis temperabitur?
Psal. 40. nunquam adiiciet, qui cecidit, vt resurgat? Estne pistor alius, qui pinsere melius possit, qui reficiat, nisi qui primus fecit? Audiuit Dominus noster,
Psal. 11. Iesus Christus has lachrimas: quamobrem propter miseriam inopum & gemitum pauperum nūc exurgam dicit Dominus. Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo. Nil siquidem proficiet inimicus in eo,
Psal. 88. & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Ecce, inquit, nouam facio creaturam, in qua ponam fermentum præstantius, quàm in priore. Ponam in ea non similitudinē modò meam, sed ipsammet viuentem imaginem, splendorem gloriæ meæ, & figuram substantiæ meæ immiscebo. Quod factum credimus in incarnatione filij Dei, qui pro nobis factus homo seipsum in cibum & panē nobis dedit. Fœlix mulier, benedicta inter mulieres, in cuius castis visceribus superueniente igne Spiritussancti coctus est panis iste. Fœlix, inquam, beata virgo: quæ in hæc sata

Fermentum abscōditum in secundo sato farinæ notat assumptionem humanæ naturæ in Deum.

ſata immiſit ſuæ fidei fermentum : ſiquidem fide concepit, fide peperit : & beata quæ credidit, quoniam perfecta ſunt quæ dicta ſunt ei à Domino. Luc. 1. Contra hanc commixturam princeps huius mundi non habet quicquam : hanc mixtionem nulla creatura ſoluere poteſt. Quamobrem ea nõ deficiet nobis in cibum, quoad mundus hic ſtabit. Eſt & alia, quæ duarum priorũ cõſummatio eſt, nempe quum anima non deformata, vt prius : nec à corpore per mortem diuiſa, ſed rurſus corpori commixta vnà cum Deo in ſpiritu & gloria vnietur. Vobis, inquit, qui permanſiſtis mecum in tentationibus diſpono, ſicut diſpoſuit mihi pater, regnum : vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo : vt ſcilicet in omnem æternitatem eiuſdem gloriæ, quæ ſuauiſſimus paſtus eſt animorum, mecum participes ſitis. Et alibi iiſdem dicebat : Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam in regno patris mei. Hæc meditetur Abbatiſſa, in his tota ſit, hæc loquatur, hos in victum ſpiritualem panes ſuis proponat, his vti filias commoneat. Hoc enim faciens fidelis erit miniſteriorum Dei diſpenſatrix, ſéque ipſam ſaluam faciet, & eas, quas amore vinculóque ſponſi Chriſti coniunctiſſimas habet, filias. Sed hactenus de præparatione ad proximum natale Domini pro dignitate celebrandũ, & de officiis nato Seruatori exhibẽdis ſatis multa verba feciſſe videor : ſupereſt, vt concionem oratione concludamus.

Fermentum in tertio ſato farinæ abſconditũ indicat aſſumptionẽ animæ & corporis in ſocietatẽ beatorum.

Luc. 22.

Matth. 26.

PRECATIO.

DOMINE Deus, qui nos in ministerium filij tui Domini nostri Iesu Christi vocare dignatus es, doce, quæsumus, quibus officiis ei probè seruiamus: da, vt ad vocem præcursoris eius, tanquam ad sonum tintinnabulorum amictus Aaronici, venienti rectas cordium nostrorum semitas faciamus. Da septem eius voces in priore schola, ex aquarum alueis, ad fugam peccatorum mortalium, amorem verò contrariarũ virtutum audiendo sic profecisse, vt ad earum doctrinam compositi & cõformati, digni reperiamur qui proximo natali ad alteram in præsepio eiusdem filij tui scholam promoueri mereamur: afferentes ei non filios arietum, sed contriti cordis sacrificium: vt sic ex vna schola in aliam gradatim ascendentes, ad eam demum, quæ in cœlo est prouehamur. Da, inquam, vt multis nominibus serui tui officiorum, quæ certis gradibus pro cuiusque modulo nobis distribuisti, partes teneamus: & exhibeamus nos idoneos ministros, in vera contritione, quæ in lixiuio fontéque lachrimarum sordes peccatorum nostrorum abluat. In perfecta confessione, quæ peccata tibi vicarióque sacerdoti planè detegere non erubescat. In satisfactione, quæ duret in operibus pœnitẽtiæ, quoad iustas temeritatis pœnas persoluerit. In meditatione operum tuorum adiuncta charitate,

quæ

quæ nos ex cognitione ad amorem tuum incendat: in inuicti animi fortitudine cum fide & zelo, quibus Sathanæ quærenti nos ad prædam, resistamus. Excitare, quare tandiu obdormis Domine? exurge ad clamorem orationis nostræ, & salua nos, quia perimus. Tot iam labentibus annis laboramus in remigãdo contra hæreseon fluctus & procellas: nec quicquam proficimus. Quamobrem per viscera cõmiserationis, in quibus primùm visitasti nos, oriens ex alto, mari & ventis impera: vt tranquillo cursu perseueremus cum omni obedientia in seruitio vnigeniti filij tui. Fac demum Domine Deus, fidei nostrę fermentum absconditũ in prioribus satis farinę, creationis scilicet & reparationis, intumescere, sic succrescere, vt per omnem modum fermentatam massam erigat ad gloriam: vbi finem reportet suum, salutem animarum nostrarum præstante eodem Domino nostro IESV CHRISTO, cui in omnem æternitatem tecum & cum spiritu sancto sit honor, virtus, fortitudo & imperium.

AMEN.

W

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS *Christianissimi Priuilegio cautum est, ne quis alius quàm Federicus Morellus Typographus Regius, intra proximum sexennium, in Gallia, latinè aut gallicè, imprimat, aut alibi impressum diuendat librum cui titulus est*, Caroli Lotharingi Cardinalis & Francisci Ducis Guysij Literæ & Arma, in funebri Oratione habita Nancij à N. Bocherio Theologo: *cuíque libro accessit eiusdem Caroli Card. Concio, ab eodem N. Bocherio latinè reddita. Quæ omnia à duobus Theologis Parisiensibus lecta sunt & approbata, vt quæ nihil contineant quod Catholicæ fidei & Ecclesiæ Romanæ pietati sit dissentaneum, nec quicquam cõtra bonos mores. quod illi suo chirographo testati sunt. Qui secus faxit, pœnis mulctabitur quæ in ipso diplomate continentur,*

Dato Blesis, die 22 Decembris, 1576.

Signato,

FIZES.